RATIONES
PRO PARTE
PP. SEBASTIANI à S. PAULO,
ET
MARCI à RESURRECTIONE DOMINI,
S. THEOLOGIÆ PROFESSORUM,

Quibus ostenditur justitia appellationis eorundem à

DECRETIS

ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSIS,


ET

DOMINI OFFICIALIS EJUSDEM,

SUPER CAUSA PROHIBITIONIS CERTA-rum Thesium Mechliniæ in Capitulo Provinciali disputandarum diebus 17. & 18. Maii 1677. in eum finem distributarum.


Juxtà Exemplar Romæ exhibitum.





COLONIAE AGRIPPINAE

Typis PETRI ALSTORFF, Anno M. DC. LXXVIII.



§. I.

SPECIES FACTI.

CUM die 26. Aprilis anni 1677. Theſes noſtræ Theologicæ Lovanii in Conventu noſtro ad S. Catharinam, more quotannis fieri ſolito publicè, abſque ulla offenſione, aut Auditorum ſcandalo eſſent propugnatæ ac defenſæ, eædem, ne jota uno aut apice immutato, iiſdem Præſidibus, occaſione Capituli eorum Provincialis, Mechliniæ celebrandi, die 17. & 18. Maii ejuſdem anni, publicè in eorum templo, more in Capitulis ſolito, defendendæ ibidem per civitatem & Religioſorum Monaſteria; circiter octo ante diebus, ut ibi ſolet, ſunt diſtributæ.

Contra illas, ut posteà nobis ſincerè & fideliter relatum, & eventus ipſe edocuit, nonnulli Theologi, varia, occulto & ſecreto conſilio moliti fuerunt, ut earum defenſio tam ſolemnis in Capitulo Provinciali inhiberetur; imprimis enim in magno Mechlinienſi Concilio actum, ut publica impediretur defenſio, prætextu nonnullarum Propoſitionum, quæ eorum prævento judicio, natæ eſſent in populo ſcandala ſuſcitare, & defectus ſeu carentiæ approbationis à Cenſore Ordinario, Regio, ut prætendebatur, decreto requiſitæ; at feliciter illâ difficultate nonnihil ſopitâ, cum ipſo defenſionis die, circà horam undecimam, finito jam Concilio, adverterent ſe illâ viâ, ad optatum & præfixum ſibi finem non potuiſſe pertingere, ſtatim ad Illuſtriſſimam ac Reverendiſſimam Dominationem Veſtram ſe contulerunt, quoquo modo inventuri viam & modum prohibitionis defenſionis publicæ; undè (ut Illuſtriſſima Dominatio Veſtra in ſuo Decreto ediſſerit) varia in illis ſanæ doctrinæ contraria, & nata in populo ſibi commiſſo ſuſcitare ſcandala, continere aſſeruerunt & perſuaſerunt, ex quo, ut præſumimus (rectius enim & ſincerius de juſtitia & integritate Illuſtriſſimæ Suæ Gratiæ ſentimus) ad illorum veroſimiliter inſtantiam, nobis nec citatis, nec auditis, evulgatum & inſinuatum eſt decretum ſequentis tenoris:

„ALphonſus de Berghes Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus, Mechlinienſis, Primas Belgii, &c., Omnibus has viſuris ſalutem in Domino. Cum devenerit ad notitiam, noſtram

„nostram, certas Theses Theologicas „Lovanii impressas typis Martini Hullegaerde, in Conventu Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte „Carmelo, hujus civitatis, diebus hodierna & crastina publicè defendendas, esse distributas in manus multorum, ad hoc invitatos, ut isti publicæ „defensioni intersint; nobisque constet in iisdem Thesibus diversa contineri, sanæ doctrinæ contraria, ex quibus in populo Nobis commisso nata „sunt oriri scandala, quæ debito nostri „officii tenemur amoliri: eapropter „tenore præsentium prohibemus fieri „dictam publicam earundem Thesium „defensionem Presbyteris, Clericis, aliisque interdicimus, ne eidem defensioni seu disputationi publicæ præsentiam exhibeant. Proindè fiat hujus „insinuatio tàm in prædicto Conventu, quam alibi ubi conveniet. Datum „Mechliniæ die 17. Maii 1677. Erat signatum Alphonsus Archiepiscopus „Mechliniensis, & munitum sigillo ordinario Illustrissimi ac Reverendissimi „Domini præfati &c. Concordantiam „testor cum suo originali J. de Mayere „dicti Illustrissimi Domini Secretarius &c.

„Insinuatio hujus facta per infrascriptum Curiæ Metropolitanæ Procuratorem Officii, ad hoc per prædictum Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Archiepiscopum „Mechliniensem commissum die 17. „Maii inter horam primam & secundam post meridiem. J. de la Bastita Procurator Officii.

Decretô hôc insinuatô, & non sine summa totius Capituli consternatione perlecto, Reverendus admodum Pater Provincialis, firmiter sibi persuadens, Decretum illud, nonnisi à mala Illustrissimæ Vestræ Gratiæ informatione, ac quorundam Theologorum instigatione emanasse ad Aulam vestram, publicæ nostræ confusioni, & eminenti totius Provinciæ nostræ infamiæ, remedium, si quod posset, positurus, meliusque Illustrissimam Vestram Gratiam informaturus, se contulit; sed cùm ob Illustrissimæ Vestræ Gratiæ, ut dicebatur, indispositionem negaretur accessus, nonnullis cum primario domestico Theologo egit, instans pro insinuati Decreti renovatione, vel saltèm illius tantilla, ut disputationes publicæ indictæ, & post horam inchoandæ haberi possent, suspensione, allegansque pro fundamento, easdem Theses, circiter ab una quindena publicè Lovanii, & ante hac, cùm ibi, tùm alibi fuisse sæpissimè, sine contradictione ulla, aut populi scandalo defensas; nihilque in iis contineri, quod à variis singularis doctrinæ & dignitatis Authoribus, non sustineretur ac doceretur impunè, quibus & similibus inter illos tum habitis nihil pôtuit obtinere.

Interim, licet nobis satis evidenter appareret, nulla in Thesibus nostris contineri, ob quæ tam severæ censuræ, ac infami inhibitioni subjici mererentur, & variæ prima fronte rationes ac fundamenta nobis, nostrisque occurrerent, posteà insignioris notæ Juris-Consultorum judicio approbata, ex quibus clarè satis apparebat, non esse insinuato Decreto parendum; ob bonum tamen pacis, & ad evitandum vulgi scandalum, dicto Decreto inhibitorio disputationis publicæ, acquievimus, sub protestatione tamen, de non præjudicando juribus & privilegiis nostris; animoque firmissimo, adversus prætactos

Theo-

Theologos, apud S. Sedem, cujus est, per se loquendo de doctrinis cognoscere, doctrinam nostram ab allatis censuris vindicandi.

Hinc postero die, per Notarium Apostolicum ursimus ac institimus, ut nobis specificarentur in Thesibus contenta, quæ sanæ doctrinæ contraria, quæ nata in populo essent suscitare scandala, simulque appellationem à dicto Decreto, interjecimus, ut sequitur;

„PRimus Notarius Apostolicus & „Regius requisitus à Reverendo Ad„modum P. Michaële à S. Augustino „Provinciali electo Fratrum Beatissi„mæ Virginis Mariæ de Monte Carme„lo, Provinciæ Flandro-Belgicæ, pro„testabitur ejus nomine contra Decre„tum Illustrissimi ac Reverendissimi „Domini Archiepiscopi Mechliniensis „17. currentis, inhibitorium defensio„num Thesium Theologicarum in Con„ventu RR. Patrum Carmelitarum die „17. & 18. ejusdem mensis publicè indi„ctarum: declarando non aliter ac„quiescere prædictæ inhibitioni, nisi „sub protestatione de conservando jus „suum, & quod tempus fuerit nimium „breve, ut potuerit provideri per Supe„riorem; quoniam circiter una hora „dumtaxat antequam prædictæ The„ses deberent defendi, ipsi fuerit facta „prædicta prohibitio: & ideò protesta„tur iterum, quod appellet ex nunc à „prædicta prohibitione, vel quod pro„curabit adhiberi aliud remedium sibi „visum conveniens: non solùm quia „permaturè facta, sed etiam sine ulla „cognitione causæ, & inauditâ parte „cum gravissima ejus injuria, de qua „pariter protestatur. Proindè requirit, „quod prædictus Notarius faciet hujus protestationis insinuationem Illustris„simo ac Reverendissimo Domino præ„fato. Datum in Conventu nostro, „Mechliniensi 18. Maii 1677. F. Michaël, „à S. Augustino Provincialis qui suprà. „

EGo infrascriptus Notarius insi„nuationem feci in domo Illustris„simi ac Reverendissimi Domini Ar„chiepiscopi Mechliniensis, cùm di„ceretur ipse in quiete suâ, & ideò feci, „ipsius Cubiculario Mousti in præsen„tia Magistri Judoci Versluis, & Tho„mæ Lenaerts testium desuper speciali„ter rogatorum & requisitorum, tra„dendo prædicto Cubiculario Mousti, „copiam præsentis protestationis, „quam posuit ante fenestram Atrii Ar„chiepiscopalis. Actum Mechliniæ die „18. Maii 1677. ad medium nonæ vel „circiter. V. Castelnovæ Notarius A„postolicus & Regius &c. „

Hâc appellatione ad Ædes Illustrissimæ Vestræ Gratiæ insinuatâ, ut dictum est, iteratò institimus pro responso de Apostolis reverentialibus.

Sed loco postulati responsi de Apostolis, bina alia Decreta personarum nostrarum, ad Curiam spiritualem coram Domino Officiali citantia, eo ipso vesperi, quando manè pro Apostolis reverentialibus institeramus, nobis insinuata & exhibita in forma, ut sequitur. Primum citans P. Sebastianum.

ALphonsus de Berghes Dei & Apo„stolicæ Sedis Gratiâ Archiepisco„pus Mechliniensis, Primas Belgii, ad „exercitus Regios Delegatus Apostoli„cus, Regiæ Suæ Majestati à Consilio „Status, &c. Omnibus Tabellionibus, „Apparitoribus, Clericis, & Notariis sa„

 lutem

„lutem in Domino. Cum circà meri-
„diem 17. hujus, tempore urgente, in-
„hibuerimus, ne in Conventu Mechli-
„niensi Ordinis Fratrum B. Virginis
„Mariæ de Monte Carmelo, eodem die
„& sequenti certæ conclusiones Theo-
„logicæ, quarum duplicata in multo-
„rum manus erant distributa, publicè
„defenderentur, & ex Theologorum
„judicio. essemus informati, inter eas-
„dem conclusiones contineri aliquas,
„ex quibus natum erat in populo no-
„bis commisso scandala suscitari, si-
„gnanter circà notitiam Dei adultis ad
„salutem necessariam, fidem in Deum
„incarnatum præscriptam adultis ad
„Dei amicitiam consequendam, ac in
„vim obligativam humanarum legum,
„nostrique sit officii ab eodem populo
„avertere pericula damnationis &
„scandala, & cognoscere de doctrina,
„quæ illi proponitur, nec non revocare
„deprehensos in erroribus S. Scriptu-
„ræ, Concilio Trid. & Patribus con-
„trariis. Idcircò ad instantiam Procu-
„ratoris Officii nostri mandamus om-
„nibus & singulis vestrûm, quatenus
„R R. P P. Sebastianum à S. Paulo, &
„Marcum à Resurrectione, harum The-
„sium assertos Præsides seu Auctores,
„coram Officiali seu Commissario no-
„stro citetis, seu vestrûm aliquis citet
„in octavum diem aut alium juridi-
„cum proximè sequentem, in loco con-
„suetæ audientiæ responsuros perso-
„naliter suprà articulis à dicto Procu-
„ratore in prædicta materia exhiben-
„dis, aliisque ad notitiam nostram per-
„tinentibus, & quod feceritis, & ve-
„strum aliquis fecerit, nobis fideliter
„rescribatis seu rescribat. Datum
„Mechliniæ die 20. Maii 1677. Et e-
„rat signatum: Alphonsus Archiepisco-
pus Mechliniensis: Et sigillatum si-„
gillo prædicti Illustrissimi & Reve-„
rendissimi Domini Archiepiscopi. „

ICk onderschreven Appariteur van„
den geestelycken Hove van Meche-„
len, uyt crachte van den boven schre-„
ven Brieven daege V. E. Pater Seba-„
stianus à S. Paulo, Religieus vande„
Paters Lieve Vrouwe Broeders ter in-„
stantie van den Procurator van Of-„
ficie van den voorschreven Hove om„
personelych te compareren voor den„
Eerw. Heere Officiael des Aertbis-„
doms van Meechelen; op den 28 deser„
Maent May ten thien Uren voor„
noen in plats van de audientie in het„
Paleys van den voorschreven Hooch-„
weerdighsten Heere Aertsbischop„
om t'aenhooren den heysch ende„
conclusie, die den voorschreven Pro„
curator van officie t'U. E. laste als-„
dan sal doen ende nemen uyt saecke„
in de boven geschreven Brieven ver-„
melt. Actum den xx. May 1677. N.V.„
Rycomm. „

Secundum citans P. Marcum.

ALphonsus de Berghes Dei & Apo-„
stolicæ Sedis Gratiâ Archiepisco-„
pus Mechliniensis, Primas Belgii, ad„
exercitus Regios Delegatus Apostoli-„
cus, Regiæ Suæ Majestati à Consilio„
Status &c. Omnibus Tabellionibus,„
Apparitoribus, Clericis, & Notariis,„
salutem in Domino. Cum circà me-„
ridiem 17. hujus tempore urgente in-„
hibuerimus, ne in Conventu Mechli-„
niensi Ordinis Fratrū Beatæ Virginis„
Mariæ de Monte Carmelo, eodem die„
& sequenti certæ conclusiones Theo-„
logicæ, quarum duplicata in multo-„
rum manus erant distributa, publicè„
defende-

„defenderentur, & ex Theologorum „judicio essemus informati inter easdem conclusiones contineri aliquas, „ex quibus natum erat in populo nobis commisso scandala suscitari, signanter circa notitiam Dei adultis ad „salutem necessariam; fidem in Deum „incarnatum præscriptam adultis impiis ad Dei amicitiam consequendam; ac in vim obligativam humanarum legum; nostrique sit officii ab eodem populo avertere pericula damnationis & scandala, & cognoscere de doctrina, quæ illis proponitur, nec non revocare deprehensos in erroribus S.Scripturæ, Concil. „Trid. & Patribus contrariis: idcircò „ad instantiam Procuratoris nostri „Officii mandamus omnibus & singulis vestrûm, quatenus RR.PP. Sebastianum à S. Paulo, & Marcum à „Resurrectione, harum Thesium assertos Præsides seu Auctores coram „Officiali seu Commissario nostro citetis, seu vestrûm aliquis citet in octavum diem, aut alium juridicum „proximè sequentem, in loco consuetæ „audientiæ responsuros personaliter „super articulis à dicto Procuratore in „prædicta materia exhibendis, aliisque „ad notitiam pertinentibus, & quid „feceritis, seu aliquis vestrûm fecerit, „nobis fideliter rescribatis, seu rescribat. Datum Mechliniæ die 20. Maii „1677. Et erat signatum: Alphonsus „Archiepiscopus Mechlin.& sigillatum „sigillo prædicti Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi.

„Ick onderschreven Appariteur van „den Geestlycken Hove van Mechelē, „uyt crachte van den boven geschrevē „Brieven, daege U.E. Pater Marcus à Resurrectione, Religieus van de Paters Lieve Vrouvve Broeders ter instantien van den Procurator van Officie van den voorschreven Hove om „personelyck te compareeren voor den „Eervveerdighen Heere Official des „Aertsbisdoms van Mechelen op den „28. deser Maent May ten thien Uren „voor noen in de plaetse van audientie „in het Paleys van den voorschreven „Hoochvveerdighsten Heere Aertbischop, om te aenhooren den heysch „ende conclusie, die den vorschreven „Procureur van Officie als dan t'U. E. „laste sal doen ende nemen uyt saecke „in boven geschreven Brieven vermelt. „Actum xx. Maii 1677. N. V. Rycom. „

A binis his citatorialibus & altero decreto prohibitorio appellatum est à P. Provinciali die 26. Maii in hac forma.

Anno Domini 1677. die 26. Maii „comparens coram me Notario Apostolico ac Regio, & Testibus infrascriptis Reverendus admodum P. Michael à S. Augustino, Provincialis electus Fratrum B. Virginis Mariæ de „Monte Carmelo, Provinciæ Flandro-Belgicæ, qui declaravit, insinuatum „sibi esse decretum ex parte Illustrissimi „& Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis latum parte nec „citata, nec audita, cujus tenor hic sequitur: Alphonsus de Berghes Dei & „Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii &c. „Omnibus has visuris salutem in Domino. Cùm devenerit ad notitiam „nostram, certas Theses Theologicas „Lovanii impressas typis Martini Hullegaerde, in Conventu Ordinis Fratrum B.V. Mariæ de Monte Carmelo „

hujus

,, hujus Civitatis diebus hodiernâ &
,, crastinâ publicè defendendas, esse di-
,, stributas in manus multorum, & hos
,, invitatos, ut isti publicæ defensioni
,, intersint, nobisque constet in iisdem
,, Thesibus diversa contineri sanæ do-
,, ctrinæ contraria, ex quibus in populo
,, nobis commisso nata sunt oriri scan-
,, dala, quæ debito nostri Officii tene-
,, mur amoliri: ea propter tenore præ-
,, sentium prohibemus fieri dictam
,, publicam earundem Thesium defen-
,, sionem, & Presbyteris, Clericis, & a-
,, liis interdicimus, ne eidem defensio-
,, ni seu disputationi publicæ præsen-
,, tiam exhibeant. Proinde fiat hujus
,, insinuatio tam in prædicto Conven-
,, tu, quàm alibi ubi conveniet. Da-
,, tum Mechliniæ die 17. Maii 1677. E-
,, rat signatum: Alphonsus Archiepisco-
,, pus Mechliniensis, & ad calcem: In-
,, sinuatio hujus facta per infrascrip-
,, tum Curiæ Metropolitanæ Procura-
,, torem Officii, ad hoc per prædictum
,, Illustrissimum ac Reverendissimum
,, D. Archiepiscopum Mechliniensem
,, commissum die 17. Maii inter horam
,, primam & secundam post meridiem,
,, & subscriptum erat. J. de la Bastita
,, Procurator Officii 1677.

,, NEc non & alterum Decretum ci-
,, tatorium RR. PP. Sebastiani à S.
,, Paulo, & Marci à Resurrectione Do-
,, mini, subditorum suorum, in vim
,, prioris inhibitorii datum, tenoris se-
,, quentis: Alphonsus de Berghes Dei &
,, Apostolicæ Sedis Gratiâ Archiepisco-
,, pus Mechliniensis, Primas Belgii, ad
,, Exercitus Regios Delegatus Apostoli-
,, cus, Regiæ Suæ Majestati à Consilio
,, Status, &c. Omnibus Pastoribus,
,, Apparitoribus, Clericis, & Notariis
salutem in Domino. Cum circà me- ,,
ridiem 17. hujus, tempore urgente, in- ,,
hibuerimus, ne in Conventu Mechli- ,,
niensi Ordinis Fratrum Beatæ Virgi- ,,
nis Mariæ de Monte Carmelo, eodem ,,
& sequenti, certæ Conclusiones Theo- ,,
logicæ, quarum duplicata in multo- ,,
rum manus erant distributa, publicè ,,
defenderentur, & ex Theologorum ,,
judicio essemus informati, inter eas- ,,
dem Conclusiones contineri aliquas, ,,
ex quibus natum erat in populo no- ,,
bis commisso scandala suscitari; si- ,,
gnanter circa notitiam Dei adultis ad ,,
salutem necessariam; fidem in Deum ,,
incarnatum præscriptam adultis ad ,,
Dei amicitiam consequendam; ac in ,,
vim obligativam humanarum legum; ,,
nostrique osit officii ab eodem populo ,,
avertere pericula damnationis & ,,
scandala, & cognoscere de doctrina, ,,
quæ illi proponitur; necnon revocare ,,
deprehensos in erroribus S. Scripturæ, ,,
Concilio Trid. & Patribus contrariis: ,,
idcircò ad instantiam Procuratoris ,,
Officii nostri mandamus omnibus ,,
& singulis vestrûm, quatenus RR. ,,
PP Sebastianum à S. Paulo, & Mar- ,,
cum à Resurrectione, dictarum The- ,,
sium assertos Præsides seu Auctores ,,
coram Officiali seu Commissario no- ,,
stro citetis, seu vestrum aliquis citet ,,
in octavam diem, aut alium juridi- ,,
cum proximè sequentem, in loco con- ,,
sueto audientiæ, responsuros persona- ,,
liter super articulis à dicto Procura- ,,
tore in prædicta materia exhibendis, ,,
aliisque ad notitiam nostram perti- ,,
nentibus, & quid feceritis, vel ve- ,,
strum aliquis fecerit, nobis fideliter ,,
rescribatis seu rescribat. Datum Me- ,,
chliniæ die 20. Maii 1677. Et erat si- ,,
gnatum: Alphonsus Archiepiscopus ,,
Mechli-

„Mechlinienſis, & ſigillatum ſigillo „prædicti Illuſtriſsimi ac Reverendiſ-„ſimi Domini Archiepiſcopi. Et inferius habebatur citatio Apparitoris pro „28. Maii horâ 10. antemeridianâ, & ſi-„gnatum erat N. V. Rycom.

„AC tertium denique Decretum ci-„tatorium ejuſdem tenoris cum „præinſerto, eo ſolo excepto, quod in „hoc ſignarentur Concluſiones, *circa* „*notitiam Dei adultis ad ſalutem neceſ-„ſariam; fidem in Deum incarnatum,* „*præſcriptum adultis, ad Dei amicitiam* „*conſequendam; ac in vim obligativam* „*humanarum legum.* Et habebatur „inferius citatio Apparitoris ejuſdem, „& reliqua, ut ſuprà. Cum verò nullæ „ex Propoſitionibus Theſium præfata-„rum in terminis expreſſæ ſint, quæ „tamen *dicuntur ſanæ doctrinæ contra-„riæ, periculis damnationis, & ſcandalis,* „*nec non deprehenſis erroribus S. Scrip-„turæ, Concilio Trid. & Patribus con-„trariis* obnoxiæ, neque præfatus com-„parens credat ullas in præfatis Theſi-„bus contineri propoſitiones, iſtis, aut „ullâ aliâ cenſurâ dignas, & quæ à pro-„batis in Eccleſia Dei Authoribus non „doceantur: eapropter petit, ut Illu-„ſtriſsimus ac Reverendiſsimus Domi-„nus Archiepiſcopus dignetur ſpecifica-„re in terminis ipſarum Theſium, illas „propoſitiones, quas putat ſanæ do-„ctrinæ contrarias, periculis damna-„tionis & ſcandalis, nec non depre-„henſis erroribus S. Scripturæ, Con-„cilio Trid, & Patribus contrariis, ob-„noxias, ut poſsint Præſides diſputa-„tionum, ſeu Theſium Auctores exhi-„bere ſuas in contrarium, eidemque „Illuſtriſsimæ ac Reverendiſsimæ Gra-„tiæ Suæ communicare, ad S. Sedem pro finali judicio tranſmittendas: ad„ quam perinterim à præfato Decreto„ inhibitorio, & utroque citatorio, in„ vim illius lato appellat, petens inſtan-„ ter, inſtantius, inſtantiſsimè de Apo-„ ſtolis reverentialiabus reſpondere.„ Quamobrem fiat ejus inſinuatio Illu-„ ſtriſsimo ac Reverendiſsimo Domino„ Archiepiſcopo præfato. Datum in„ Conventu Carmelitarum Bruxellenſi„ die 26. Maii 1677. coram Judoco Cop-„ pens & Carolo Pletin Teſtibus &c.„ Et ſignatum erat: Fr. Michaël à San-„ cto Auguſtino, Provincialis Electus,„ Carmelitarum. Et infrà: Jodocus,„ Coppens, Carolus Pletin. Et inferius,„ quod atteſtor ſubſignatum A. Lem-„ mens Notarius Apoſtolicus & Regius.„ Collata concordat cum ſuo origina-„ li, quod atteſtor A. Lemmens Nota-„ rius Apoſtolicus & Regius 1677.

INnſinuatio facta eſt per me infra-„ ſcriptum, ad hoc commiſſum, in Aula,„ Archiepiſcopali Bruxellis die 26. Maii,„ 1677. horâ quintâ veſpertinâ, coram„ Teſtibus infraſcriptis Judoco Cop-„ pens & Anſelmo Deſpré, ubi cum per„ Portarium & Servum Illuſtriſsimi„ Domini Archiepiſcopi intimatum eſ-„ ſet, me in Aula adeſſe ad inſinuatio-„ nem pro parte Reverendi admodum„ Patris Provincialis Carmelitarum fa-„ ciendam, reſponſum eſt, ſe nolle acci-„ pere, cum verò poſteà Dominus de„ Mayere Secretarius Illuſtriſsimi ac„ Reverendiſsimi Domini præfati, me„ de longè audiviſſet, & conſpexiſſet,„ vellemque accurrere, ut inſinuatio-„ nem illi facerem, occluſo oſtio abſcur-„ rit dicens, non attraho hoc mih. Et„ erat ſubſignatum. Judocus Coppens,„ & Anſelmus Deſpré. Et inferius„

,, quod attestor subsignatum. A. Lemmens Notarius Apostolicus & Regius.
,, Collata concordat cum suo originali, quod attestor A. Lemmens Notarius Apostolicus & Regius 1677.

CUm verò Illustrissima ac Reverendissima Vestra Dominatio, huic appellationi in tantùm non deferret, ut vel Apostolos Reverentiales concederet, vel aliud aliquod responsum; & interea terminus in citatorialibus utriusque Præsidis per illas intimati præfixus exspiraret, P. Sebastianus personaliter, & P. Marcus, ob indispositionem & absentiam ab urbe Metropolitana, per ipsum scripto comparuit ad locum consuetæ audientiæ, in quo lenones, scortatores, adulteri, meretrices, & similis furfuris scelerati homines comparere solent, & ad quam (præter antiquam, & hactenus usitatam istius Curiæ, dum personæ honoratæ ad illam citantur, praxim) citati erant, & Dominum Officialem, necnon Procuratorem Officii, de interjecta appellatione ad S. Sedem certiores reddidit, modo ac forma, ut sequitur:

,, DIe 28. Maii 1677. coram Reverendo admodum Domino Officiali Metropolitico Mechliniensi, & me infrascripto Graphiario comparens Reverendus Pater Sebastianus à S. Paulo, Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, citatus pro parte Procuratoris Officii Curiæ nostræ, qui prævià promissione de veritate dicenda, sub expressa tamen protestatione hujus tenoris: Ego Fr. Sebastianus à S. Paulo, Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, declaro me non aliter, nec aliâ intentione huc venire, quam salvis omnibus privilegiis meis, & Ordinis juribus, exceptionibus quibuscunque ac defensionibus, & citra quamcunque prorogationem jurisdictionis, aut renuntiationem legitimarum exceptionum. Declaro insuper ac actis inseri peto, quod si quid ad interrogata respondeam, non intendam per meam responsionem ulli ex prærallegatis renuntiare ac præjudicare. Concordat præsens copia cum acta originali hodie exhibita, quod attestor hâc 28. Maii 1677. A. Herman Graph. quam petiit actis jungi, responditque prout sequitur. ,,

AD primum articulum dicit, se hactenus habitasse Lovanii, & quoad ulteriorem contentum hujus articuli, & subsequentium, petit sibi ea omnia communicari, antequam respondeat, eò quod fortè inter particularia interrogatoria sint aliqua connexa, super quibus Amplissimus Dominus Officialis non potest cognoscere, saltem in præsenti statu causæ & personæ. ,,

Actor rejiciendo per Fiscalem requisitionem Reverendi Patris citati tanquam tendentem contra ordinariam praxim, & statuta hujus Curiæ, petit eidem ordinari, ut articulatim respondeat, juxtà ordinarium stylum observari solitum, ubi poterit dicere ad particularia, vel contra personam, aut quævis alia, si quæ sint, quæ ipse pro sua defensione judicaverit esse utilia. ,,

Pater citatus petit ad minus omnia interrogatoria sibi dari in scriptis, ut cum otio & maturâ consideratione ad singula respondere possit. ,,

Actor

„ Actor persistit apud sua præcedentia allegata, & præcipuè apud dicta statuta, articulo decimo de modo procedendi; sin autem Pater citatus contra interrogatoria opportunè, & cum otio velit respondere, erit illi integrum idem facere post responsionem personalem, eandem ampliando.

„ Pater citatus, cum igitur illa sibi negentur, respondet, se hic & nunc, nec teneri, nec posse respondere, ob rationes loco & tempore exhibendas.

„ Actor sustinet per Patrem citatum esse respondendum, sub pœna juris & contumaciæ, quandoquidem hactenus nullam allegaverit rationem declinatoriam, vel peremptoriam, propter quam ad requisitam responsionem non teneretur.

„ Pater citatus dicit se persistere apud ante allegata, eò quod sit appellatum immediatè ad S. Sedem Apostolicam.

„ Actor persistit, attento quod nec de eo doceat.

„ Pater citatus docebit de interjecta appellatione.

„ Actor refert se ad decretum hâc in causa ferendum.

„ Et prædictus persistit similiter.

„ Partes persistunt.

„ Contra P. Marcum verò eodem die 28. Maii 1677. citatum, Actor reproducit citatoriales debitè executas, & per Fiscalem exhibet libellum petens & concludens prout in eodem.

„ Comparens Reverendus Pater Sebastianus à Sancto Paulo pro parte Patris citati, exhibet scedulam hanc: Tenore præsentium Infrascriptus declaro, quod ob indispositionem & calores nequeam personaliter Mechliniam venire, quod rogem Reverendum Patrem Sebastianum à S. Paulo Collegam meum, ut meo nomine, salvis tamen omnibus privilegiis, exceptionibus, ac juribus quibuscunque, petat ab Amplissimo Domino Officiali, sibi concedi copiam Articulorum, super quibus requirit responsionem, ut eâ visâ consulere queam, an sint tales, qui attentis omnibus circumstantiis causæ & materiæ, personarum, aliisque, subsint hic Lovanii 27. Maii 1677. F. Marcus à Resurrectione Domini. Duplicatum hujus est exhibitum hâc 28. Maii 1677. quod attestor A. Herman Graph. A Patre citato signatam, quam petit Actis jungi, & sibi ejusdem concedi copiam authenticam. „

Actor visâ dictâ scedulâ, per Fiscalem dicit, antequam Pater citatus responderit personaliter, nullam eidem esse concedendam copiam, multò minus, quia videtur intentionis esse jurisdictionem Ordinarii ad minus tanquam Delegati Apostolici declinare, ac proindè sustinet eidem esse ordinandum, ut personaliter respondeat sub pœna juris & contumaciæ, & quod contra eundem decernentur ulteriores. „

Pater Sebastianus inhæret scedulæ exhibitæ. „

Partes persistunt. „

Hisce non obstantibus, quindecim circiter diebus posthæc, Procuratori Officii novum obtinuit Decretum, personarum nostrarum de novo citatorium, hujus tenoris: „

Visis actis, rejicientes requisitionem Patris citati, eidem mandamus, ut respondeat personaliter ad supradictum

„ ctum libellum Procuratoris nostri „ Officii 19. labentis, sub pœna, quod a- „ liàs decernetur prima contumacia, & „ concedentur ulteriores: intereà eâ „ qualitate, quæ in hac causa de jure „ communi nobis competit, Concilio „ Trid. vel Summis Pontificibus est at- „ tributa, atque decisioni hujus causæ „ est opportunior; Committimus, in „ quantum opus, Admodum Reveren- „ dum Dominum Officialem nostrum, „ ut coram illo hæc causa usque ad defi- „ nitivam exclusivè instruatur, dantes „ ei facultatem substituendi, ubi aliis „ negotiis impedietur. Datum Bruxel- „ lis die 2. Junii 1677. Erat paraphatum „ AA. M. vidit. Et paulò inferius erat „ scriptum de mandato Illustrissimi ac „ Reverendissimi Domini Archiepisco- „ pi Mechlin. Jac. Ottaert. Secretarius.

Cum autem P. Sebastianus à S. Paulo ad locum audientiæ se contulisset cum duobus Confratribus, tanquam Testibus, eò quod nullus nobis in hac causa servire vellet, ex timore, quod puniretur, prout Notarius quidam Apostolicus de facto ab officio fuerat suspensus, ob obsequium in hac nostra causa nobis præstitum, novam appellationis actam exhibiturus, verbaliter à præfato decreto, nomine suo, & Patris Marci, à quo plenariam habebat commissionem, ad S. Sedem appellavit, instititque 1. 2. 3. instanter, instantius, instantissimè pro responso de Apostolis saltem reverentialibus, actamque exhibuit subsequentem.

„ Anno Domini 1677. die 1. Junii „ comparentes coram me Notario „ Apostolico & Regio, Testibusque in- „ frascriptis Reverendus Pater Sebastia- nus à S. Paulo, & Reverendus Pater „ Marcus à Resurrectione Domini Or- „ dinis Fratrum B. Virginis Mariæ de „ Monte Carmelo, & insistentes factis „ appellationibus ad S. Sedem, tam à „ Decreto Illustrissimi Domini Archie- „ piscopi lato 17. Mensis Maii prohibiti- „ vo publicæ defensionis Thesium, „ quam à citatione suarum persona- „ rum coram Domino Officiali Mech- „ liniensi ad diem 28. Maii. Insistentes „ quoque declarationi, quam fecerunt „ dictâ die 28. partim verbo, partim scri- „ pto, de non præjudicando suis quibus- „ cunque exceptionibus, ac defensioni- „ bus: factâ etiam tum mentione in- „ terjectæ appellationis, declarant se „ non alio fine comparuisse, quàm ut „ intelligerent, quænam ulteriora pun- „ cta putaret Illustrissimus ac Reveren- „ dissimus Dominus Archiepiscopus, „ vel Procurator Officii, in ipsorum „ respectivè Thesibus reprehendenda, „ aut quænam annotassent illi Theolo- „ gi, à quibus informatus fuit Illustris- „ simus ac Reverendissimus Dominus, „ ut illis habitis, præfati Patres compa- „ rentes, possent apud S. Sedem (ad „ quam spectat cognitio) se tueri, & „ Theologorum confutare imposturas, „ vel saltem temeraria consilia, & prop- „ terea tam præfatis appellationibus „ insistunt, quam etiam appellant ite- „ ratò, tam ab illatis gravaminibus, „ quàm à futuris quibuscunque, quando- „ quidem sit de jure permissum appel- „ lare à futuro gravamine, ubi jam præ- „ cessit aliud, ex quo ulteriora possent " inferri. Et ut tam Illustrissimus ac " Reverendissimus Dominus, quàm e- " jus Dominus Officialis videant spe- " cimen aliquod temeritatis, ac præci- " pitantiæ istorum Theologorum, vel "

„ excæcatæ passionis, repræsentant verba inserta in utriusque citatione, quibus dicitur: *Certæ Conclusiones Theologicæ, quarum duplicata in multorum manus erant distributa, publicè defenderentur, & ex Theologorum judicio essemus informati, inter easdem Conclusiones contineri aliquas, ex quibus natum erat in populo nobis commisso scandala suscitari, signanter circa notitiam Dei adultis ad salutem necessariam; fidem in Deum incarnatum præscriptam adultis impiis, ad Dei amicitiam consequendam.* Attamen nihil penitùs in Thesibus Patris secundo loco comparentis tangitur *de notitia Dei adultis ad salutem necessaria.* Pater autem comparens primo loco nihil penitus habet *de fide in Deum incarnatum impiis adultis præscripta*, sed solùm habet in conclusione secunda: *Deum existere, licet non sit per se notum, nec quoad se, nec quoad nos, omninò demonstrari potest, quo non obstante subinde absque ulla culpa ab adulto ignorari potest, quidni & sic salvari?* Hoc si illis doctis Theologis damnabile videatur, videant, an non ipsorum judicio erit consequens, quod baptizatus, adeòque justificatus, & ante amissam justitiam moriens, damnetur sine culpa mortali: v. g. si talis recenter ab accepto usu rationis (quo usu adepto Theologicè loquendo, adultus dicitur, licet non sit adultus juridicè) moriatur, antequam lapsum sit tantùm temporis, intra quod tali adulto, præsertim si in iis locis versaretur, ubi nulla fit Dei mentio, vel prædicatio (pone v.g. quod vel in sylvis, vel apud Barbaros fuerit educatus.) fiat ei mortalis defectus notitiæ Dei: atque quod ejusmodi casum respiceret dicta Thesis secunda, poterant dicti Theologi nullo negotio cognoscere ex ipsius Thesis verbis, *quo non obstante subindè &c.* per quod verbum *subindè*, raritas apertè significatur, & consequenter regula contraria statuitur, nempe ordinariè nullum adultum sine notitia Dei salvari. Et ipse Pater secundo loco comparens, in terminis, assertione decimâ octavâ contradictorium ejus, de quo accusatur, sic posuit: *Impiis adultis fides actualis Dei, ut existentis, necessitate medii necessaria est.* Et quod addidit idem secundo loco comparens *non ut incarnati, passi &c.* fuit in Hallis Lovanii publicè defensum; tradunt idem Theologi plurimi, ex quibus aliqui dicunt illam esse communiorem, alii probabiliorem: ex quibus nihilominus dictorum Theologorum, à quibus fuit informatus, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus, sinistris judiciis, cùm processerit idem Illustrissimus ad Decretum adeò præjudicale, dictis Comparentibus, Provinciali & Ordini, sed ita edixerit: *Nobisque constet, in iisdem Thesibus diversa contineri sanæ doctrinæ contraria, ex quibus in populo nobis commisso nata sunt oriri scandala, quæ debito nostri officii tenemur amoliri: eapropter tenore præsentium prohibemus fieri dictam publicam Thesium defensionem, & Presbyteris, Clericis, & aliis interdicimus, ne illi defensioni, seu disputationi publicæ præsentiam exhibeant, proinde fiat hujus insinuatio, tam in prædicto Conventu, quàm alibi, ubi conveniet.* Datum &c.

IDeò insistentes, ut dictum est, appellationi à dicto Decreto, appellationi „

„quoque factæ à citatorialibus, tan-
„quam datis in consequentiam dati
„Decreti, & temerarii judicii istorum
„Dominorum Theologorum (quos si-
„bi nominari petunt, eorumque judi-
„cium suum exhiberi, ut adversus illud,
„& eos, se tueantur dicti Comparen-
„tes) appellant ulterius, ut dictum est,
„ad eandem Sedem ab ulteriori futu-
„ro gravamime. Præterea cùm ad eo-
„rundem notitiam pervenerit, quod il-
„la dies & hora, in quam citati erant,
„(nempe Veneris horâ 10. matutinâ)
„sit illa dies & hora ordinaria, in quam
„citantur personæ infames, & mere-
„trices, scortatores, & similes; hone-
„stæ autem personæ, vel in alium diem
„citentur, vel ad alium locum; non ve-
„rò in istarum infamium personarum
„tumultu, hinc etiam ab illo gravami-
„ne, quod in istorum notitiam recen-
„ter pervenit, appellant, & petunt in-
„stanter, instantius, instantissimè, sibi
„ad singula appellationum puncta de
„Apostolis reverentialibus responderi,
„& ut dictum est, dictorum Theologo-
„rum sibi exhiberi nomina, & judi-
„cium, ut possint adversus illud se tue-
„ri apud eos, ad quos in sinistram sus-
„picionem sunt vocati, alias in casum
„negationis, aut quo præfati Theologi
„non consentirent in exhibitionem sui
„judicii, præfati Comparentes dicunt,
„seu declarant, illos habendos esse pro
„calumniatoribus, impostoribus, & ta-
„libus, quibus impostерum nulla fides
„haberi debeat; pro indignis & incapa-
„cibus, qui consulantur in Belgio, ubi
„multi docti & maturioris judicii, &
„prudentiæ Viri non desunt.

„Petunt denique istis Theologis hanc
„Actam per Dominum Officialem,
„vel Illustrissimum ac Reverendissi-
„mum Dominum Archiepiscopum
„communicari, ut nullam possint præ-
„tendere ignorantiæ causam, sed pro-
„deant in publicum cum suo, quod de-
„derunt, judicio, & debitâ expurgatio-
„ne, quod nihil in eo penitùs immutâ-
„rint. Acta sunt hæc Bruxellis coram
„Judoco Coppens, & Carolo Pletin Te-
„stibus, ad hæc vocatis, & rogatis, & di-
„cti RR. PP. Comparentes & Testes
„minutam hanc unà me Notario sub-
„signaverunt, quod attestor. Signatum
„erat. A. Lemmens Notarius Apostoli-
„cus & Regius. Collata præsens copia
„cum originali apud acta exhibito die 3.
„Junii 1677. concordat; quod attestor.
„A. Herman Graph.

RECUSANTE Domino Officiali dare Apostolos reverentiales (quos tamen ordinariè per se dare solet) & dicente Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem Vestram desuper prius consulendam, Procurator Officii, qui anteà dixerat, se eos non posse negare, aut impedire, petiit responderi de refutatoriis.

ALiquot igitur diebus transactis, P. Sebastianus se iterum contulit ad locum audientiæ, institititque apud Dominum Officialem pro responso de Apostolis, novam in illum finem exhibiturus Actam, sperans desuper intereà Illustrissimam Dominationem Vestram consultam; sed frustrà; respondit enim Dominus Officialis, Apostolos esse petendos ab Illustrissima Dominatione Vestra, Actamque eidem esse exhibendam Bruxellis, non autem sibi Mechliniæ in loco audientiæ: ubi tamen, & à quo eramus citati; asserens alioqui nobis non respondendum, etiamsi centum exhiberemus Actas.

Cum

Cum autem Pater Sebastianus cogeretur ratione Officii sui P. Provinciali remotissimos Provinciæ Conventus visitanti assistere, P. Marco totum negotium prosequendi legitimè commisit, hâc commissione in scriptis datâ, & Illustrissimæ Dominationi Vestræ 31. Junii exhibita.

„ INfrascriptus cùm ob negotia Pro-
„ vinciæ, & Visitationis ejusdem co-
„ gar abesse à Bruxellensi, Mechliniensi,
„ Civitatibus, & vicinis locis, & ad re-
„ motiora loca properem, tenore præ-
„ sentium deputo & constituo Reve-
„ rendum Patrem Marcum à Resurre-
„ ctione Domini, uti verum & legiti-
„ mum Procuratorem meum, ad prose-
„ quendam causam, & causas contra
„ Procuratorem Officii Curiæ Mechli-
„ niensis, super Thesibus, de quibus
„ nunc quæstio, omnibusque eidem
„ causæ annexis, connexis, emergenti-
„ bus, appellationibus, suspectatione,
„ cæterisque omnibus: plenariam ei-
„ dem concedens potestatem, etiamsi
„ essent talia, quæ specialem aut specia-
„ lissimam requirerent commissionem,
„ promittens singula habere rata & gra-
„ ta. Datum Bruxellæ 14. Junii 1677.
„ Subsignatum erat F. Sebastianus à S.
„ Paulo Ordinis Fratrum B. Virginis de
„ Monte Carmelo. Concordantiam
„ atteстor P. J. van Lille Notarius 1677.

PAter Marcus videns Dominum Officialem tergiversari, & nolle ea quæ exhibebantur recipere, sed asserere ea exhibenda fore Illustrissimæ Vestræ Gratiæ, Actam exhibuit 22. Junii Bruxellis Illustrissimæ Vestræ Gratiæ per modum Epistolæ in hanc formam:

ANno Domini 1677. die 22. Junii, „
comparens coram me Notario „
Apostolico & Regio, sive publico, & „
Testibus infrascriptis P. Marcus à „
Resurrectione Domini, tam suo no- „
mine, quàm P. Sebastiani à S. Paulo, „
juxtà commissionem, quæ infrà an- „
nectitur, declaravit Illustrissimum ac „
Reverendissimum Dominum Ar- „
chiepiscopum, Domino Officiali suo „
dedisse commissionem citandi & „
procedendi contra præfatum Com- „
parentem, & suum Collegam, usque „
ad sententiam definitivam exclusivè; „
cùm autem dictus Comparens & „
præfatus Collega ex parte sua proce- „
derent, & in nullo essent in mora ex- „
hibendi defensiones suas, seu excep- „
tiones legitimas, appellationes, suspe- „
ctationis causas, & petendi prout de „
jure; præfatus Dominus Officialis „
cœpit tergiversari, eousque, ut diceret, „
illa quæ exhibebantur, se nolle reci- „
pere, sed esse Illustrissimo ac Reve- „
rendissimo Domino Archiepiscopo „
insinuanda: quare præfatus Com- „
parens tam suo, quàm qui suprà, no- „
mine protestans de debita diligentia, „
petiit à me infrascripto Notario pro- „
testationis prædictæ actam dari, ejus- „
que, nec non præcedentium appella- „
tionum ac suspectationis insinuatio- „
nem fieri præfato Illustrissimo ac Re- „
verendissimo Domino Archiepisco- „
po, & peti prout in iisdem. Actum „
die, mense, & anno, quibus suprà, co- „
ram Stephano van Vooren & Corne- „
lio Mattens Testibus vocatis & requi- „
sitis, qui unà cum Comparente & me, „
Notario subsignarunt minutam hu- „
jus actus. Quod attestor P. J. van „
Lille Notarius 1677. „

Infra-

„ INfra scriptus Notarius Apostolicus &c. Bruxellis residens, testatur ad instantiam Domini & Presbyteri P. Marci à Resurrectione Domini, Religiosi Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, hunc præsentem actum procurationis & protestationis, cum aliis duobus actibus appellationis & suspectationis annexis insinuasse Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi per Epistolam, quam propter ipsius absentiam dedi Ostiario domûs dicti Archiepiscopi, & acceptavit, qui post Sacrum eam dare promisit dicto Illustrissimo Domino Archiepiscopo. In cujus &c. Actum 22. Junii 1677. Signatum erat P. J. van Lille Notarius, parum infra scriptum erat, concordat cum suo originali, quod atteftor, signatum P. J. van Lille Notarius. Concordantiam attestor P. J. van Lille Notarius 1677.

Interim currente tempore Mensis, iteratis vicibus institimus per Notarios responsum de Apostolis obtinere, at in vanum; nam quinta Augusti 1677. renovatum nobis insinuatur Decretum Illustrissimæ Vestræ Gratiæ respondens de refutatoriis, in cujus vim Advocatus Fiscalis nos denuò citat satisfacturos Decreto 2. Junii. Erat autem hujus tenoris:

„ CUm Pater citatus minimè sit gravatus, respondemus de refutatoriis, & eidem ordinamus, ut satisfaciat Decreto nostro de data 2. Junii novissimi infrà octo, alias decernimus ex nunc pro tunc primam contumaciam, & concedimus ulteriores. Datum Bruxellis die trigesima Julii 1677. Erat rubricatum AA. M. Vidit. Et paulò inferius scriptum erat de Mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechlin. Signatum J. de Mayre Secret. „

Die 5. Augusti 1677.

ADvocatus Fiscalis, attento quod per Decretum Illustrissimi Domini Archiepiscopi de data 30. Julii novissimi, quoad interjectam per Patrem citatum appellationem responsum sit de refutatoriis, petit eidem Patri citato ordinari, ut infra terminum per præfatum Decretum limitatum, satisfaciat Decreto 2. Junii etiam novissimi sub pœna ibidem comminata, & ne præfatus Pater citatus tàm novissimi Decreti, quàm termini prætendat allegare aliquam ignorantiam, petit eorundem ipsi fieri insinuationem, & interim per Reverendum Dominum designari diem, & horam, quibus respondeat personaliter & dicto Decreto satisfacere possit. „

DEsignamus diem decimum tertium currentis Mensis horâ tertiâ post meridiem. Infrà habebatur. Collata præsens copia cum originalibus Actis concordat, quod attestor, & erat signatum. A. Herman. Insinuatio facta 5. Aug. 1677. N. V. Rycom. „

Sed cùm nobis iteratò, tum intrà, tum extra judiciū petentibus & instantibus, non esset de Apostolis intra triginta dies, juxtà Sacros Canones, responsum; P. Marcus & suo, & P. Sebastiani nomine, in Sacros Canones peccatum fuisse declaravit coram Domino Officiali, & de nullitate ac incompetentia

tentia citationis & jurisdictionis protestatus est, exhibens subsequentem actam.

„ REverendus P. Marcus à Resurrectione Domini, nomine Reverendi Patris Sebastiani à S. Paulo, absentis in partibus Geldriæ visitationis causa jam à tribus septimanis: visâ responsione de refutatoriis, & citatione ulterioris datis trigesima Julii, & quinta Augusti; insinuatis autem quintâ Augusti, dicit tam se Comparentem, quàm præfatum Patrem Sebastianum, quàm etiam Reverendum Admodum Patrem Provincialem, eorundem appellationes substituisse, tam à Decreto Illustrissimi Archiepiscopi, quàm aliis subsecutis coram Amplitudine Vestra; dictasque Appellationes reiterasse diebus respectivè die decimâ octavâ, vigesimâ, vigesimâ sextâ Maii, primâ, tertiâ & vigesimâ secundâ Junii provocasse ad S. Sedem, cujus est doctrinæ controversias terminare, petiisse Apostolos, plurimas tàm in judicio, quàm per Notarium fecisse instantias pro habenda responsione de Apostolis, eamque responsionem dilatam esse usque ad prædictam diem trigesimam Julii, & insinuationem usque ad quintam Augusti. „

„ ATque ita peccatum esse in Canones, quibus expressè præcipitur, quod Judex debeat Apostolos dare intra triginta dies, capite *ab eo* de appellationibus in 6. in quibus Canonibus præterea expressum est, quod si Judex ulterius in causa procedat, processus ipsius sit nullus & irritus, cap. 4. eodem. Cap. 1. ibidem, & consequenter per non factam debito tempore responsionem, seu, ut explicat Glossa in dictum caput quartum, si intra tempus debitum negligenter, vel malitiosè Judex non tradidit, excidit Jurisdictione suâ, & ex tunc, inquit textus, ejus invalidus & irritus sit processus: quare de nullitate & incompetentia citationis & jurisdictionis protestatur, quo suprà nomine P. Marcus, & ex abundanti etiam nomine suo, necnon de habito recursu ad S. Sedem, de nullitate quoque præfatæ responsionis, ex quo per actum invalidum, & contra Canones, non deceat sibi parare authoritatem, à qua excidit Judex. „

„ ET ut nonnihil Amplissimus Dominus Officialis, & Illustrissimus Dominus Archiepiscopus animum, prætextu scandalosæ & erroneæ doctrinæ exacerbatum, mitigare dignetur, rogat præfatus Comparens, ut velint advertere Conclusiones, quas isti Theologi, ex quorum judicio processit Illustrissimus Dominus, censurârunt, seu quarum intuitu ad prohibitionem disputationis publicæ processum est, fuisse frequentissimè in auditoriis publicis, etiam ipsius Universitatis Lovaniensis, quod Hallas vocant, sub Eximiis Viris ac Magistris nostris, Doctoribus sæcularibus; Promondo, Pontano, Simmichio, Mercero, van Wermio, Vianen, Laurent, esse respectivè in Thesibus propositas ac defensas, ita à plurimis Doctoribus & Professoribus aliis, Scriptoribusque traditas. „

Simulque exhibitus indiculus Auctorum & Sacræ Theologiæ Magistrorum

rum ac Professorum, qui nostras propositiones sustinuerant, quem hic omittimus, specialiter illum exhibituri infra, in singularum Propositionum justificatione.

Hoc modò in Curia Spirituali Mechiniensi, causæ nostræ imposito fine, animum non deposuimus, illam apud S. Sedem (cujus est desuper cognoscere) prosequendi, nisi Censores nostri infamem ac injuriosam, adversus Theses nostras latam, retractent ac deleant censuram, quâ retractatâ, Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ justitiæ & integritati innitentes, Decreta, cæteraque acta consequenter confidimus, quantocyus retractanda & annullanda. Ad quod, ut Illustrissimæ Vestræ Gratiæ animus efficaciter moveatur, supplicamus, ut non gravetur, subsequentem Thesium nostrarum justificationem maturè attendere.

§. II.

Quænam Propositiones à Theologis in Thesibus taxatæ.

PErlecto Illustrissimæ Gratiæ Vestræ Decretô priori inhibitorio disputationis publicæ obstupuimus, & diu satis hæsimus, ut deprehenderemus, vel unicum ex illis diversis contentis (ut asserebatur) in Thesibus, quod sanæ doctrinæ contrarium, & ex quo in populo nata essent oriri scandala, dici, vel haberi posset, donec tandem ex Decretis citatorialibus, judicio quorundam Theologorum, taxari deprehendimus in Thesi 2. P. Sebastiani hanc Propositionem: *Deus subindè absque ulla culpa ab adulto ignorari potest: quidni & sic salvari?* Et in Thesi 18. P. Marci hanc: *Impiis adultis fides actualis Dei ut incarnati, passi, &c. non est necessaria necessitate medii.*

Ex his quidem hoc habuimus, ut nobis constaret, in qualibet Thesi unicam Propositionem contineri, quæ istorum Theologorum judicio censura esset notanda, sed quæ diversa in utraque Thesi, quæ aliquæ Propositiones in singulis continerentur, quæ essent sanæ doctrinæ contrariæ, & natæ in populo suscitare scandala, ad nostram notitiam, nonnisi post multam & diuturnam inquisitionem pervenire potuit, tandem igitur deprehendimus in singulis Thesibus binas taxari, nempe sequentes:

Primam, ex Thesi 2. Patris Sebastiani, hanc: *Subinde absque ulla culpa ab adulto Deus ignorari potest: quidni & sic salvari?*

Secundam. Ex Thesi 14. ejusdem, hanc: *Lex humana positiva, nisi Divinam aut naturalem interpretetur, ad actus internos obligare non potest, etiam indirectè.*

Tertiam. Ex Thesi 15. Patris Marci, hanc: *Lex civilis, nisi id exprimat, sub culpa non ligat.*

Quartam. Ex Thesi 18. ejusdem, hanc: *Impiis adultis fides actualis Dei ut incarnati, passi &c. non est necessitate medii necessaria.*

Hæ

Hæ igitur Propositiones sunt varia illa sanæ doctrinæ, judicio Theologorum illorum contraria, & nata in populo, Vestræ Illustrissimæ Gratiæ commisso, suscitare scandala, ad quæ avertenda, & disputatio Thesium publica prohibenda, & Præsides tanquam scandalosi coràm Domino Officiali in Curia spirituali citandi fuerunt; an rectè & justè, habitâ & pensatâ hâc meliori informatione, poterit Illustrissima Vestra Dominatio judicare: quamobrem sit:

§ III.

Vindicatur I. *pars primæ Propositionis, à Magistrorum ac Professorum Sacræ Theologiæ authoritate.*

PRima propositio in Decreto citatorio Illustrissimæ Vestræ Dominationi relata, est hæc P. Sebastiani à S. Paulo: Deus subindè absque ulla culpa ab adulto ignorari potest: quidni & sic salvari?

Hæc quoad primam partem publicè tradita & defensa fuit ab Eximiis Doctoribus Lovaniensibus.

Primò: Lovanii 1634. 1. Octobris sub Eximio Domino Mercero: *Ignorantia Dei invincibilis adhuc dari potest pro aliquo tempore in utente ratione; non tamen pro semper, aut in integra aliqua natione.*

2. Lovanii in Hallis 1643. 14. Augusti sub Eximio Domino Joanne Sinnichio: *Potest dari ignorantia invincibilis omnium mysteriorum fidei.*

3. Lovanii in iisdem Scholis 1660. 17. Junii sub Eximio Domino Pontano, defendente Arnoldo Eyben: *Utrum verò etiam inculpabilis esse possit, quâ omnia fidei mysteria, atque adeò Dei existentia, ejusque circa res humanas providentia, ignorantur, controvertitur? nos affirmativam partem tueri conabimur, si de tempore breviori intelligatur.* Adjungimus alios Sacræ Theologiæ Professores.

4. Lovanii 1660. 15. Martii sub P. Edmundo ab Angelis: *Quid ergò mirum, si inter bestias educatus, aut valde rudis sibi relictus, invincibiliter ignoret Deum?*

5. Lovanii 1666. in Majo sub P. Benedicto à Matre Dei: *Quidni tamen Dei in hominibus rudibus (etiam toto vitæ tempore) negativa dari ignorantia possit sine culpa?*

6. Lovanii 1666. 20. Julii sub Patre Maximiliano le Dent: *Dei existentia non est per se nota: sufficienter demonstrari potest, sed ab adulto rationis compote ignorari.*

7. Lovanii 1667. 27. Julii sub eodem Præside: *Existentia Dei non est per se nota, unde aliquo saltem tempore ignorari potest ab adulto rationis compote.*

8. Lovanii 1667. 22. Augusti sub P. Francisco à Kennedii: *Ignorari nihilominus potest* (nempe Deus) *etiam ab adulto rationis compote, sic ut ne quidem semel in vita de ipso cogitet.*

9. Lovanii 1668. 23. Julii sub P. Ægydio Estrix: *Existentia Dei, etsi nobis*

non sit propriè per se nota, demonstrari tamen, sed & ignorari potest invincibiliter ignorantia, etiam totali.

10. Lovanii 1668. 29. Julii sub eodem Præside: *Deum esse, non est per se notum quoad nos, sufficienter demonstrari, sed & ignorari potest, saltem aliquamdiu.*

11. Lovanii 1668. 24. Julii sub Patre Antonio à Burgundia: *Homo aliquis Divinis gratiis destitutus, etiam diu potest Deum invincibiliter ignorare.*

12. Lovanii 1668. 27. Novembris sub eodem Præside: *Hac & similia, cum se solis non assequantur rudes ac hebetes, neque ipsis per se propriè quoad nos nota sit hac, Deus existit, unde probes, neminem tam rudem dari, qui spectatâ solâ naturâ humanâ, non possit diu invincibiliter carere judicio de existentia Dei?*

13. Lovanii 1671. 7. & 8. Julii sub eodem: *Potest homo rudis spectatâ solâ naturâ, diu carere judicio de existentia Dei: fieri etiam potest, ut seclusis auxiliis, aliquamdiu habeat ignorantiam Dei invincibilem.*

14. Lovanii 1672. 27. Julii sub eodem: *Spectatâ naturâ simpliciter, qua nunc est, fieri potest, ut quis ratione utitur, Deum ignoret aliquamdiu invincibiliter.*

15. Lovanii 1672. 28. Novembris sub P. Ignatio de Jonghe: *Unde sub ratione Entis simpliciter maximi, Deum ignorare diu invincibiliter quis potest: sub inferiori, nonnisi aliquamdiu rationis compos.*

16. Lovanii 1673. diebus 18. & 19. Julii sub eodem: *Quidni tamen Dei sub ratione hâc entis perfectissimi existentiam, quam ratio demonstrat, etiam rationis compos, ignorare aliquamdiu invincibiliter potest?*

17. Lovanii 1674. 3. Julii sub eodem: *Verùm ignorarine potest Dei existentia à rationis compote? Cur invincibiliter, ad breve saltem temporis spatium ignorari non possit, si seclusis auxiliis gratiæ, natura sibi relinquatur, non videmus.*

18. Lovanii 1674. 17. & 18. Julii sub P. Antonio à Burgundia: *Non apparet sufficiens fundamentum negandi, posse existentiam Dei, non tantùm sub ratione perfecta, verùm etiam sub inferiori quadam, aliquo saltem tempore invincibiliter ignorari.*

19. Lovanii 1675. 16. Octobris sub P. Antonio Maccarthii: *Non inficiamur nihilominus, adultum rationis compotem, pro brevi saltem tempore, Deum invincibiliter ignorare posse.*

20. Mechliniæ 1659. Mense Maii sub P. Benedicto à Matre Dei, Thesi defensâ in Comitiis Provincialibus, & dedicata Amplissimo Præsidi, cæterisque Supremi Belgarum Mechliniensis Parlamenti Senatoribus: *Quidni tamen Dei in hominibus rudibus sibi relictis, negativa dari ignorantia possit sine culpa?*

21. Gandavi 1663. 16. Aprilis, sub Eximio Patre Thoma Leonardi: *Probabilius est* (ergò nostra probabilis) *non posse dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem de existentia Dei.*

22. Bruxellis 1672. 17. Maji sub P. Ferdinando à S. Carolo Borromæo: *Nos autem adultos, in gratia baptismali existentes, sub ignorantia invincibili, scilicet negativa, etiam ipsius Dei, salvari posse putamus.*

23. Antverpiæ 1675. 9. Julii: *At cum hi discursus non sint tam faciles, homenesque inveniantur in sylvis enutriti, adeò hebetes & stupidi, ut res minus subtiles, exemplis etiã propositas non capiant, facilè*

facilè conficies, posse non paucos diu invincibiliter non assequi notitiam Dei perfectam: imò spectatâ tantùm naturâ humanâ, etiam imperfectam, ut v. g. sub ratione omnium Creatoris, Gubernatoris &c.

24. Romæ 1654. mense Maii sub P. Marco à S. Matthæo in Comitiis Generalibus in Conventu Sanctæ Mariæ Transpontinæ: *Deus naturaliter à posteriori demonstrabilis, ita per se notus est, tam quoad se, quàm quoad nos, ut ab adulto quoad vixerit, ignorari queat, etiam negativè. An invincibiliter? ut placuerit: ut tamen affirmativam à ratione probabiliorem, ita negativam ab authoritate putamus tutiorem.*

§. IV.

Vindicatur prima pars primæ propositionis ab authoritate Auctorum eam in libris suis docentium.

PRimam partem primæ propositionis tradunt in suis libris sequentes Auctores.

Primò: Altisiodorensis in 4. Sent. lib. 3. tract. 4. q. 3. fol. mihi 136. *Hæc argumentatio non valet; iste est adultus, & non credit in Deum, & decedit sic: ergo damnabitur.*

2. Eximius P. Joannes Nider Sacræ Theologiæ Professor impressus Parisiis anno 1507. in explicatione præceptorum Decalogi: præcepto primo cap. 2. lit. D. *Nisi quis fortè excusaretur de illorum notitia per defectum Doctorum, vel per brevitatem vitæ post inceptum usum rationis, vel per imbecillitatem usus rationis.* Quod secundum litt. E. probat authoritate Altisiodorensis statim à nobis citatâ.

3. Illustrissimus P. Herinx Episcopus Iprensis 1. p. disp. 1. q. 1. n. 10. ubi docet, dari posse ignorantiam existentiæ Dei, quam dum regulariter loquendo docet esse culpabilem, supponit subindè posse esse inculpabilem.

4. P. Gabriel à S. Vincentio in 1. p. D. Thom. impressus anno 1664. de expressa licentia Magistri Sacri & Apostolici Palatii, disp. 11. dub. 2. n. 38. *Secundum* (in quo puto omnes convenire) *est, quod dari possit ignorantia negativa invincibilis in aliquo particulari individuo de Dei existentia.* Quod probat ex D. Thoma.

5. Eximius Magister P. Xantes Mariales in Bibliotheca Interpretum, ad universam Summam Theologiæ D. Thomæ q. 2. de essentia Dei controv. 12. cap. 4. à 1. ad hanc quæstionem: *Utrum contingre possit, aliquem inculpabiliter ignorare Deum?* Sic docet: *Ex adverso Zumel hîc disp. 1. conclus. 3. & Molina disp. unica, volunt posse contingere, & resolutè, ego sum cum istis, arbitror id contingere posse, hancque esse expressè sententiam D. Augustini & Thomæ, quod sic explico & probo.*

6. P. Poncius de Deo uno disp. 2. q. 3. n. 47. *Posset aliquis in particulari, etiam adultus, & rationis compos, ita ignorare Deum, ut nec semel cogitet de ipso toto tempore vitæ; quia posset aliquis nasci in sylvis, ab hominum consortio remotus,*

motus, & in iis usque ad rationis usum vivere, sive baptizatus, sive non baptizatus, per duos Menses, imo per duos annos, aut plures, antequam videret ullum alium hominem, aut Angelum, à quo proponeretur Deus, & & tum mori.

7. P. Puteanus q. 2. dubit. 2. ad object. 2. *Respondeo, quemlibet nostrum obligari ad cognoscendum aut laudandum Deum, quamprimum provenit ad atatem rationis; caterum non simpliciter & absolutè, sed eò tantùm modò, quò cognoscimus Deum pro eo instanti temporis*: Et post pauca: *Colliges ex istis, dari ignorantiam inculpabilem in aliquo de existentia Dei.*

8. P. Andreas Lao in 1. partem D. Thom. approbatus ab Inquisitore Generali Genuæ F. Prospero Bagarotti Ordinis Prædicatorum q. 2. a. 1. dub. 4. n. 308. *Potest naturaliter dari inadvertentia invincibilis de existentia Dei, seu ignorantia negativa.* Et ibid. n. 309. sic asserit: *Collige, posse etiam adultum, toto vita tempore, naturali viâ, Deum non cognoscere, si postquam venit ad usum rationis, in sylvis extra humanum commercium intra breve temporis spatiū moriatur.*

9. P. Daniel à S. Josepho 1. p. disp. 1. de Deo uno cap. 4. *Adultâ atate homo, etsi non toto, aliquo tamen vita tempore, Deum existere, ita ignorare potest, nulla ut industria, nulloque studio vincere possit eam, quâ laborat, ignorantiam.*

10. P. Iræneus à S. Jacobo 1. p. cap. 1. sect. 1. §. 6. in fine. *Discussâ varias in partes quastione, probabilius mihi videtur, spectatâ pracisè natura conditione, posse existentiam Dei invincibiliter ignorari ab aliquibus.*

11. P. Præpositus 1. p. q. 2. art. 1. n. 3. *Ex hac doctrina hujus articuli sequitur, in aliquo dari posse ignorantiam hujus veritatis, Deus est, saltem ad aliquod tempus.*

12. P. Franciscus Amicus 1. p. disp. 2. de existentia Dei n. 16. *Hic disputari solet, an dari possit invincibilis ignorantia de Deo, saltem ad tempus, & in paucis rudibus? Affirmat Medina p. 2. q. 89. art. 6. Molina 1. q. 2. art. 1. Zumel q. unica conclus. 3. & alii: nec negat Granadus in 1. p. tract. 1. de existentia Dei, disp. 1. sect. ultima in fine, ubi concludit cum Victoria, posse aliquem in sylvis enutritum, qui nihil de Deo unquam audivit, laborare ad tempus invincibili ignorantia Dei, qua sententia cum pradicta limitatione in paucis, & ad tempus, probabilis est.*

13. P. Arriaga 1. p. disp. 2. sect. 3. ad hanc quæstionem: *An ita Deum esse demonstretur, ut à nemine invincibiliter ignorari possit?* Respondet n. 17. *Probabiliorem censeo sententiam Molina (qui uti in principio n. 16. refert ad quast. propositam, affirmat simpliciter id posse contingere) quam facilè inde probo.*

14. Pater Isquierdus, Hispaniarum Qualificator in opere suo Theologico, Romæ cum licentia expressa Magistri Sacri Palatii impresso tract. 1. de Deo uno disp. 1. q. 8. propos. 1. n. 165. *In aliquibus hominibus valde rudibus, & sine ulla aliorum doctrina, in sylvis aut etiam in contubernio similium enutritus, credibile mihi est, dari posse ignorantiam, omnimodis invincibilem Dei.* Quod fusè ibi probat, & rationes in contrarium solvit.

15. Joannes Morandus de Deo Uno & Trino. q. 2. n. 55. *Ideo dico cum Arriaga disp. 2. sect. 3. & aliis, possibilem esse de Deo ignorantiam invincibilem in aliquibus rudibus.*

16. P. Molina q. 2. de Deo art. 1. fol. 3. litt. F. *Ex dictis colligi potest, tam rudes & incultos posse aliquos homines esse, ut maxi-*

ut maximâ cum probabilitate affirmare possimus, in eis ignorantiam invincibilem Dei posse reperiri; porrò eâ ignoratione excusabuntur à peccato infidelitatis, & quod Deum non colant, non erit eisdem culpa attribuendum.

17. P. Ignatius der Kennis, de Deo Trino & uno disp. 1. n. 3. *Ex eo quod propriè & principaliter per se non sit notum, Deum existere, efficaciter hoc ipsum ignorari posse, partim vincibiliter & culpabiliter, partim invincibiliter: nam aut potest non proponi intellectui, aut si proponatur, possunt latere rationes id probantes, aut certè non attendi aut pervadi debitè: culpabiliter quidem ut in Atheis, qui eas, pravâ voluntate obfuscant: invincibiliter verò in rudibus Barbaris, qui eas, aut non audiunt, aut non capiunt, saltem statim ut proposita sunt.*

18. Quiros Regii Supremi Senatus S. Inquisitionis Censor tract. 2. de essentia Dei disp. 14. n. 56. *De secunda ignorantia privativa, sic loquuntur pro longo vitæ decursu, secluso pravo Doctore extrinseco, moraliter impossibile apparet, eam esse posse in aliquo rationis compote omnino invincibilem.* Et n. 57. *Nihilominus physicè loquendo, nullum apparet convincens signum, ex quo evidenter deducatur, non posse homini rustico in sylvis solitariè enutrito, hujus rei ignorantiam omninò inculpabilem contingere per breve tempus, & consequenter, si statim iste homo moriatur, jam ignoravit invincibiliter finem, qui in illum creatus est, & mediorum, seu præceptorum naturalium notitiam habuit. Jam verò cur prædictus Sylvicola non poterit continuò manere sub hac incogitantia?*

19. P. Ildephonsus Pennafiel tract. 2. de existentia Dei disp. 2. n. 24. *Dico 2. considerando hominem in ordine ad principia merè naturalia, existimo certissimam hanc secundam sententiam (nempe possibilem esse ignorantiam Dei invincibilem in plurimis hominibus.)*

20. P. Petrus Ozea de virtutibus Theolog. disp. 2. sect. 1. subsect. 2. *Sententia affirmans, posse in homine adulto reperiri carentiam fidei, sive infidelitatem negativam invincibiliter, & sine ulla culpa, quæ in eo, quod est non credere sita sit, jam est in Scholis communior. Eam tenet D. Thom. 22. q. 10. a. 1. cum suis Interpretibus.*

21. P: Franciscus Bonæ Spei, Theologiæ speculativæ tom. 1. tract. 1. disp. 1. dub. 3. Resol *2. Dico 2. in tali homine rudis & hebetis ingenii sibi relicto (an enim Deus speciali inspiratione in quolibet homine ratione utente speciem sui existentis excitet, quod plerique Thomistæ tuentur, valde incertum est, cùm Deus varios, etiam adultos, sine omni Baptismo æquè necessariò, mori sinat) dari potest ignorantia existentis Dei negativa inculpabilis.*

22. Don Josephus Cacheranus in sua Theol. Assertiva tract. 1. §. 5. n. 37. *Deum existere sub conceptu aliquo particulari, & proprio expressè cognito, metaphysicè loquendo potest ignorari invincibiliter ignorantia negativa in aliquo individuo. Idque probat ex S. Aug. tract. 106. in Joan. & D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1.*

23. P. Comptonus in 1. p. disp. 3. sect. 2. n. 5. *Sustineo quod diu quis Deum ignorare invincibiliter non possit; benè tamen ad aliquod breve tempus.*

24. P. Stadlmaijr disp. 1. n. 11. *Existentia Dei nullo casu ab ullo homine, si ratione utatur, potest positivè per principia intrinseca ignorari; etsi negativè nullâ occurrente de Deo cognitione, vel per principia extrinseca deducta ab authoritate malè instituentis, ad breve saltem tempus possit Deus ignorari.*

§. V.

§ V.

Vindicatur 1. pars primæ Propositionis ratione.

Quod subindè in adulto aliquo dari possit unius Dei ignorantia, apud omnes putamus esse indubitatum, ut v. g. in puero à lupis rapto, & ab iis annos aliquot in sylvis enutrito, de quo Spondanus ad annum Christi 1344. vel in puero ab ursis sublato, & ad annum ætatis 14. vel 15. inter eos educato, de quo Parival, in sæculo ferreo, vel in Zabolosis Indis, de quibus Pennafiel ex relatione Virorum Apostolicorum, in illis partibus pro salute Infidelium strenuè laborantium, qui post instructionem, & conversionem interrogati, ingenuè fassi sunt, se nunquam de Deo, vel Numine aliquo cogitasse, aut conceptum aliquem etiam obscurum vel confusum formasse: vel denique in tam rudi & hebete, ut post diligentem Parochi instructionem, & magnos labores, fidei Christianæ rudimenta penetrare aut retinere nequit ullo modo, qualem nos cognovimus & vidimus, etiam in nostro Belgio.

Quod verò talis unius Dei ignorantia, in simili adulto, seu incogitantia & inadvertentia ad Deum, non magis potest esse culpabilis, saltem pro brevi illo tempore, quàm quæcunque alia cujuscumque juris, sub simili ignorantia, non observantia, seu prævaricatio, juxtà illud Joan. 9. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum*. Et Bullas Pii V. & aliorum Pontificum, in quibus damnantur hæ Baii propositiones: *Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium*. Item: *Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Denique: *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit*. Et hæc Jansenii: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*. Augustinum lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras*. Chrysostomum hom. 13. in Epist. ad Rom. *Nemo unquam ignoranter peccavit &c. Si enim ignorantes peccaverunt, indigni utique erant, qui pœnas darent*. Denique Tridentinum sess. 6. cap. 11. ubi dicitur, *Deum hominibus non præcipere impossibilia; adulto autem sub istis ignorantiæ tenebris defectu instructionum, tam impossibile est, saltem pro brevi aliquo tempore, ad Deum se convertere, quàm observare quæcunque alia jura, quorum simili laborat ignorantia*. Ergò &c.

Quod autem aliqui Patres, & nominatim Damascenus lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 2. & 3. dicat: *Omnibus cognitio existendi Deum naturaliter est insita*. Explicat D. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. ad 1. de cognitione Dei in aliquo communi, quam omnes naturaliter appetunt, hanc autem ibidem expressè negat esse cognitionem Dei: cæteri autem Patres facilè explicari possunt, vel de ignoran-

tia

tia positiva, quâ quis excitatus de Deo existente positivè judicaret, & diceret, *non est Deus*, quod solus insipiens in corde dicit: vel de hominibus perspicacioribus, purioris ingenii ac judicii. Sicque intelligi & explicari potest illud ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit.*

§. VI.

Vindicatur 2. pars primæ propositionis authoritate.

SEcunda pars primæ propositionis est hæc: *Quidni & sic salvari?* Hæc publicè defensa est Lovanii 1660 15. Martii sub P. Edmundo ab Angelis: *Quid ergo mirum, si inter bestias educatus, aut valde rudis sibi relictus, invincibiliter ignorat Deum? sed quo pergeret ille ab infantia baptizatus? ad cœlum.*

Et Bruxellis 1672. 17. Maii sub P. Ferdinando à S. Carolo Borromæo: *Nos adultos in gratia baptismali existentes sub ignorantia invincibili, scilicet negativa, etiam ipsius Dei, salvari posse putamus.*

Sicque omnes & singulos Disputationum Præsides, quos in favorem nostrum pro prima parte citavimus, resoluturos arbitramur, si interrogarentur, quò pergeret similis adultus in infantia baptizatus, casu quo sub dicta Dei invincibili ignorantia moreretur? Nobiscum insuper id docent sequentes Auctores.

Primò: Altisiodorensis in 4. Sent. tract. 4. q. 3. fol. mihi 136. qui casum nostrum subtiliter examinat, & pro nobis resolvit: circa finem movens hanc quæstionem: *Quæritur: quo instanti teneatur primò credere, & ponatur, quod parvulus statim post baptismum deferatur apud Paganos, & moretur ibi, donec sit adultus, quæritur de isto, in quo instanti primò tenetur credere?* Videtur quod in isto instanti, in quo primò potest dici, iste est adultus. Probatio: dicatur illud instans A. si iste decederet, statim postea damnaretur, quia cum sit adultus, *nec credidit in Deum, nunquam dilexit Deum, ergo peccavit mortaliter, nonnisi peccato omissionis; ita ergò omisit, nonnisi in A. & ita omisit credere in A, & ita tenebatur credere in A, & non ante A. quoniam nondum erat adultus: ergò A fuit primum instans in quo tenebatur credere.* Ad quod argumentum respondet: *Contra Apostolus dicit: invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt &c. Ad hoc igitur, quod aliquis credat, oportet quod prius consideret invisibilia, & conferat illa suo esse; unde dicit Aristoteles, quod credere est persuasum esse, sed ad omnia ista facienda exigitur tempus; ergò impossibile est per se, quod aliquis in primo instanti ætatis suæ adultæ credat; ergò impossibile erat per se isti, ut crederet in A; sed nullus tenetur ad impossibile per se: ergo iste non tenebatur credere in A. quod concedimus, dicentes, quod nullus tenetur credere in primo instanti ætatis adultæ; Judex enim sæcularis dat inducias deliberationis, multò fortius Judex æternus, qui in infinitum est benignior, dat inducias ad credendum in se, quantum verò tempus det, ad hujusmodi deliberatio-*

berationem, nullus scit: unde patet, quod hæc argumentatio non valet: iste est adultus, & non credit in Deum, & decedit sic: ergò damnabitur, quoniam non fuit in mora credendi, & judicat ideò, ut parvulus, donec tempus deliberationis fuerit elapsum. -

2. Andreas Vega, Magister Salmanticensis in Trid. lib. 6. de præparatione adultorum ad justificationem, cap. 17. credit esse probabilissimum. 1. *haberi posse fidei Christi ignorantiam invincibilem. 2. Fidem explicitam Christi in præcepto esse omnibus; sed justificari etiamnum adultos, imò & salvari citrà illam. Idem ipsum concedendum est de illis, si qui fuerint, qui ignorantiam invincibilem fidei unius Dei habuerint, & vel prorsus eum ignoraverunt, vel tantum per demonstrationem ex lumine naturali, aut opinione quadam, aut fide humanâ ex relatu aliorum eum noverunt.*

3. Ludovicus Mæratius de fide disp. 19. sect. 1. assert. 2. n. 4. *Adultis quoque in infantia purgatis ab originali peccato per infusionem gratiæ sanctificantis, non est actus Divinæ fidei necessarius ad salutem.*

4. Bordonus S. Officii Consultor tom. 1, de expressa licentia Magistri Sacri & Apostolici Palatii impresso cap. 8. de fide Eccl. Rom. fol. 262. n. 138. de adulto nullâ fidei instructione baptizato, & statim moriente, sic docet: *Dico illi adulto sufficere fidem habitualem in Baptismate receptam; æquiparatur enim infanti, cui impossibile est elicere actum fidei, sicut adulto carenti usu rationis: neque obstat illud Marci, qui non crediderit, condemnabitur; quia intelligitur de habentibus usum rationis cum cognitione fidei, quam nolunt credere &c.*

5. Irenæus à S. Jacobo ad quæstionem: *An actus fidei sit necessarius necessitate medii ad salutem?* Sic respondet capite 2. sect. 1. §. 9. fol. 726. *De adultis itaque restat quæstio, in quibus iterum distinguitur; nam si puer habitu fidei instructus per baptismum; statim moriatur, post usum rationis adeptum, nullâ datâ occasione credendi aut negandi, imò cogitandi de rebus fidei, salvandus videtur Suari tract. 1. de fide disp. 1. sect. 2. n. 10. & Lugo de fide disp. 12. sect. 1. n. 3. quia ad conservandam justitiam, sufficit non peccare mortaliter, nec requiritur actus fidei exercitium: is verò tunc salvaretur eodem modo ac medio, quo infantes, gloriamque acciperet in hæreditatem, non in præmium, nisi meritorios aliarum virtutum, quam fidei, actus exercuerit, quorum mereatur mercedem.*

6. Illustrissimus P. Herincx disp. 7. de fide q. 4. n. 32. *Suppono fidem actualem non esse necessariam ad salutem parvulis baptizatis, ante usum rationis morientibus; hi enim fidei actualis incapaces, salvantur per fidem, spem, & charitatem habitualem, seu gratiam in Baptismo acceptam, quam nonnisi novo mortali (cujus sunt incapaces) possunt amittere; qui etiam suscepto Baptismo, etsi actum credendi non habeant, inter fideles computandi sunt, juxtà Trid. sess. 7. can. 13. de Baptismo. Idem est de adultis in infantia baptizatis, qui antequam committant peccatum mortale, ex hac vita decedunt, etsi nullo actu fidei elicito ratione invincibilis ignorantiæ aut inadvertentiæ.*

7. P. Suarez disp. 12. de necessitate fidei, quatenus est medium ad salutem, sect. 2. n. 10. *Dico 2. actus fidei in adulto ita est medium necessarium, ut in voto solo non sufficiat, loquor in assertione de consecutione justitiæ; quia si adultus fuerit in infantia baptizatus, posteaque perveniat ad u-*

ad usum rationis, ac contingat brevi tempore vivere sine peccato mortali, & sine actu fidei, salvabitur; quia ad conservandam justitiam, satis est non peccare mortaliter, etiamsi fides non exerceatur; tunc autem, licet ille qui salvatur, sit adultus, non salvatur (ut ita dicam) tanquam adultus, sed tanquam infans; quia per medium commune infantibus salvatur, & postea in ordine ad salutem, vel contra illam, nihil tamen adultus est operatus.

8. P. Platelius de fide c. 5. §. 4. n. 2024. *Si quis tamen justificatus per Baptismum, postea perveniens ad ætatem adultam, prius moriatur, quàm peccaverit mortaliter, & habuerit occasionem audiendi vel cogitandi de rebus fidei, salvabitur absque fide actuali; quia cum, ut supponitur, non peccaverit mortaliter, adeoque retineat gratiam in Baptismo acceptam, habet jus ad gloriam.*

9. M. Berulla de fide q. 4. conclus. 7. *In adulto præter fidem habitualem, requiritur fides actualis ad salutem, si ei proponantur mysteria fidei sufficienter &c. Dico, si proponantur, quia si nunquam audiret post baptismum, & non peccaret, posset salvari absque fide actuali.*

10. P. Thomas Comptonus de fide disp. 15. sect. 1. in fine: *Quod si quis in infantia baptizatus, ubi ad rationis usum pervenerit, aliquanto tempore sine peccato mortali vivat, & hôc modô moriatur, is quamvis nullum actum fidei eliciat, nihilominus consequetur beatitudinem.*

§. VII.

Vindicatur 2. pars primæ propositionis ratione.

Quid obsecro, & Divinæ bonitati, & rectæ rationi conformius, quàm similem ignorantem, & post breve tempus usus rationis decedentem salvari? Certè ni talis salvetur, justus ut talis evidenter damnatur, quod facilè sic ostendimus: Perveniat puer ille in infantia baptizatus, ad principium usus suæ rationis, & moriatur antequam sit obligatus per fidem, aut charitatem, se in Deum convertere actualiter, quod fieri potest; quia primum illud instans, quo, juxtà doctrinam D. Thomæ, quilibet obligatur se in Deum convertere, non metaphysicè, sive indivisibiliter, sed moraliter cum aliqua latitudine & extensione, ut ostendit Altisiodorensis supra citatus, & communiter admittunt Thomistæ, explicantes in eo puncto mentem D. Thomæ, accipiendum est: supponatur igitur claritatis gratiâ, instans illud moraliter sumptum, comprehendere medium unius horæ quadrantem, & puerum baptizatum in infantia, pervenire ad tertium vel quartum instans istius medii quadrantis, sicque in dicta ignorantia mori (quod sive violentâ, sive naturali morte facilè fieri potest) morietur adultus Theologicè, cùm omnes usum rationis habentes sint tales, & justus; quia cum illis primis instantibus, nondũ esset obligatus præcepto se convertendi in Deum, sed tantùm ultimis instantibus istius medii quadrãtis, illud

præceptū non violabit, nec alia violasse supponitur; si ergò moriatur, justus moritur,& si damnetur, justus ut talis damnatur, quod est alienum à fide.

Scimus nonnullos docere, ad Dei providentiam spectare, ut similis adultus non moriatur, priusquam exercuerit actum fidei Divinæ, saltem circà Deum existentem. Sed illis rectè respondet & satisfacit Ludovicus Mæratius de fide disp.19. sect. 1. assert. 2. n. 4. *Ex nullo loco S: Scripturæ, aliove argumento colligi posse hanc Dei providentiam erga illos adultos, qui jam ad Deum per habitualem fidem, aut simul etiam per gratiam sanctificantem accesserunt, cum ipsoque conjuncti sunt.*

Aliundè talem adultum salvandum, si aliundè mortaliter non peccet, ex eo deducimus, quod illi nihil desit ad salutem; cum enim necessarium necessitate medii putemus definiendum, *id sine quo in re, vel voto, etiam inculpabiliter omisso, nullus impius, quibuscumque aliis positis, salvabitur*; hic autem adultus impius non sit, salvandus dici potest sine fide actuali unius Dei.

Rationes autem, quæ nos movent, ut definitioni illi addamus illas particulas, *nullus impius*, sunt hæ:

Prima: quod alioqui infans baptizatus, ad partes infidelium translatus, sub Dei ignorantia inculpabili ad unum v.g. usus rationis annum educatus, & in illa mortuus, omissione fidei actus de Deo moraliter ei impossibilis non liberâ; & ideò inculpabili, gratiâ & salute privari deberet, quod crudele videtur, & directè contra amorem Dei Patris, Filio suo adoptivo debitum. Quid, obsecro, aliud est fidem de Deo actualem necessitate medii necessariam facere adulto justificato, pro eo tempore, quo Deum invincibiliter, seu inculpabiliter, ignorat, quàm adultum illum jam per Baptismum justificatum & filium Dei adoptivum, ad impossibile pro tempore illo sub æternæ damnationis pœna obligare, contra Trid. *sess.6. cap.* 11. quo nihil crudelius, & à paterno in filium adoptivum affectu magis alienum.

Secunda: quia non est tanta ratio dicendi, aquæ baptismum non esse jure per se determinatè necessitate medii necessarium, sed disiunctivè, in re vel voto, sive martyrio, aut contritione perfectâ, ne alioqui penè innumeri, defectu baptismi aquæ perire debeant, licet de facto sint Dei ob originale inimici, ut communiter docent Theologi, quàm sit dicendi fidem de uno Deo actualem respectu adulti, non esse in re per se determinatè necessitate medii necessariam, sed disiunctivè, in re vel voto, sive gratiâ baptismali; ne valde multi, qui de facto sunt amici Dei, defectu fidei actualis, sibi moraliter impossibilis, in æternum perire debeant, cum sit incomparabiliter plus unum Dei amicum perire, quàm infinitos Dei inimicos damnari.

Tertia: quæro, cur adulto, jam per Baptismum justificato, fides de Deo actualis potius necessitate medii necessaria in re præcisè dicatur, quàm Baptismus aquæ in re præcisè adulto jam per contritionem perfectam justificato? hic enim magis est necessarius, quàm fides illa actualis; per se confert gratiam, quam fides actualis per se non confert; & aliundè ideò solùm Baptismus in re non est huic necessitate medii necessarius, quia hic de facto antecedenter est in gratia; ille autem in priori casu etiam supponitur esse antecedenter in gratia:

unde

unde ex hoc capite est inter utrumque paritas.

Nec obstat nostræ propositioni authoritas S. Scripturæ, Marci ultimo: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*; quia rectè, juxtà Bordonum, S. Officii Consultorem suprà citatum, *intelligitur de habentibus usum rationis cum cognitione fidei, quam nolunt credere.* Id enim satis perspicuum est, vel inspicienti verba & tenorem Sacri Textus, sic habet: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Verbis istis Salvator Apostolos suos mittit per universum mundum, ut omni creaturæ (cujus nomine homines designantur) Evangelium prædicarent, quo audito, suscipientibus promittit salutem, rejicientibus, comminatur damnationem; ubi nihil de illis, quibus Christus per se, vel per suos Apostolos non est locutus; hos enim excusandos ipse enuntiat Joan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, quo in eum non crediderunt,* ut explicat Augustinus.

Alia autem loca, sive S. Scripturæ, sive Conciliorum, sive Patrum, quæ fidei necessitatem tangunt, explicari facilè possunt; non enim generaliter accipi possunt, nisi parvulos baptizatos damnari velint.

Hæc abundè sufficere potuissent pro justa vindicatione secundæ partis hujus Propositionis, nisi aliundè nobis innotuissent aliquæ aliquorum oppositiones, ex quibus suspicabantur hanc secundam propositionis partem non cohærere, sed evidenter contradicere authoritatibus SS. Patrum, nominatim SS. Augustini & Bernardi, quas nostram propositionis partem non tangere ostendemus, postquam exposuerimus urgens motivum, quo ad defensionem hujus partis propositionis fuimus excitati.

Non parum ad 2. partis hujus propositionis defensionem nos animabat & incitabat, quod videremus, per oppositam, periculum esse, ne variæ propositiones à variis Pontificibus contra Bajum & Jansenium damnatæ, resuscitarentur, & in rigore sustineri possent; si enim erronea sit: *Adultum in infantia baptizatum, sub ignorantia invincibili unius Dei existentis decedentem, posse salvari,* debet esse vera hæc opposita, *Adultum in infantia baptizatum, sub ignorantia invincibili unius Dei existentis decedentem, non posse salvari*; quæ tamen tanquam vera pro secunda parte, nullò modò posse admitti, videtur, quod in gratiam & pleniorem Examinatorum informationem, ostensum imus.. Hoc igitur

Probatur: quia illa propositio nullò modò tanquam vera admitti potest, ex qua tanquam vera admissa, deducuntur propositiones, à variis Pontificibus proscriptæ & damnatæ: atqui ex hac propositione tanquam vera admissa, variæ deducuntur Propositiones à variis Pontificibus proscriptæ & damnatæ: Ergò &c. Major est certa, & ex terminis nota; quia ex propositione admissa tali ut vera, nonnisi vera conclusio deduci potest, qualis esse non potest damnata à Ponti-ficibus.

Probatur minor 1. Quia ex illa tanquam vera admissa, deducitur hæc propositio 46. contra Baium à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. proscripta & damnata: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.*

 Ergò

Ergò &c. Probatur antecedens; quia si talis adultus non posśit salvari, debet damnari, nisi hæreticè post resurrectionem, pro adultis fingatur locus aliquis medius inter cœlum & infernum, si autem deceat damnari, sequitur, quod ob aliquod peccatum mortale debeat damnari, sive illud sit originale, sive actuale personale; non ob originale, cum hoc supponatur per Baptismum in infantia remissum, & juxta Trid. sess. 5. can. 5. *Nihil sit damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* Et ibidem anathemate feriatur: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remittinegat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet*; ergò necessariò ob aliquod mortale actuale personale; quia nil nisi peccatum separat à Deo, aut à cœlesti regno excludit: illud autem peccatum actuale mortale, ob quod adultus ille excluderetur à Regno cœlesti, & damnaretur; deberet omninò esse tale, ad cujus rationem & definitionem non pertineret voluntarium: quia cum supponatur brevi illo tempore usus rationis, non peccasse contra aliquod præceptum naturale aut Divinum, distinctum à præcepto fidei unius Dei, deberet illius peccatum actuale mortale, esse omisśio actus fidei supernaturalis circa existentiã adulto illo invincibiliter ignorante existentiã unius Dei, pro tempore illius ignorantiæ, non potest illi ullô modô esse volũtaria; ergò necessariò est in illo peccatum, ad cujus rationem & definitionem non pertinet voluntarium. Probatur hæc minor: quia ut illa omisśio aliquô modô illi esset voluntaria, deberet aliquô modô dependere à voluntate illius: atqui nullo modo dependet à voluntate illius, nec dependere potest: ergò nullô modô potest illi esse voluntaria.

Probatur minor: non imprimis directè, formaliter & expresśè; quia cum Dei existentiam circa quam actus fidei versari deberet, nullô modô cognoscat, imò stante illâ invincibili ignorantiâ, nullô modô cognoscere posśit, omisśio illa actus fidei circà Dei existentiam non magis potest directè, formaliter ac expresśè ab illius voluntate dependere, quàm posśit dari volitio directa, formalis & expressa rei non cognitæ, quod fieri non posse, evincunt communia axiomata tum Theologorum, tum Philosophorum. *Ignoti nulla cupido. Nihil volitum quin præcognitum.*

Neque etiam indirectè aut interpretativè; quia ad hanc à voluntate dependentiam, requiritur saltem aliqua confusa advertentia ad omisśionem actus fidei, quæ in illo adulto, suppositâ ignorantiâ invincibili existentiæ unius Dei, nullô modô reperiri potest, cum ignorantia invincibilis, habitâ confusâ aliquâ advertentiâ, desinat esse invincibilis, & incipiat esse vincibilis. Unde suppositâ in adulto illo ignorantiâ invincibili unius Dei, non magis potest esse confusa aliqua advertentia ad omisśionem actus fidei in illo adulto, quàm in infante, dormiente, aut perpetuò amente.

Quin à voluntate illius adulti invincibiliter Deum ignorantis, non magis illa omisśio actus fidei modò dependet, quàm ab æterno, & antequam adultus ille natus fuerit, dependerit, cum eodem modo ab æterno, & antequam adultus ille existeret, se habuerit ad voluntatem istius adulti, quo sese de facto habet, ut consi-

considеranti patebit; non potuit autem dici illam aliquô modô dependisse, aut dependere potuisse ab æterno à voluntate illius adulti; ergò nec modò dici potest dependere, aut à voluntate illius ut talis, dependere posse; eodem enim fundamento illa dici posset dependere à voluntate infantis, dormientis, aut perpetuò amentis, quò dicitur dependere à voluntate hujus adulti, invincibiliter Dei existentiam ignorantis. Unde ex illa admissa propositione tanquam vera, deduco damnatã illã Propositionẽ: *Omissio actûs fidei, ob quam adultus ille damnatur, debet esse peccatum, ad cujus rationem, & definitionem pertineat, quod sit omittenti voluntarium, seu aliquô modô dependens ab ejus voluntate:* atqui *omissio illa actûs fidei, ob quam adultus ille damnatur, nullô modô potest esse peccatum, ad cujus rationem & definitionem pertineat, quod sit ipsi omittenti voluntarium, seu aliquô modô pendens ab ejus voluntate* (uti patet ex præmissis) *Ergò omissio illa actûs fidei, ob quam adultus ille damnatur, est peccatum, ad cujus rationem & definitionem non pertineat voluntarium, seu nullô modô pendens ab ejus voluntate.*

Nec dicas omissionem illam actûs fidei unius Dei existentis, dependere à voluntate istius adulti invincibiliter ignorantis Deum, ratione causæ, scilicet peccati originalis, ipsi in Adamo voluntarii: quia si talis dependentia à voluntate istius adulti sufficiat, ut illa omissio actûs fidei, illi sit peccatum mortale, formale personale, etiam sufficiat talis dependentia in infantibus, dormientibus, perpetuò amentibus & cæteris, ut talis omissio, & quidquid agunt contra legem Dei, aut naturæ, etiam sit peccatum formale personale & mortale, proportionaliter ad materiam. Quin omnes concupiscentiæ motus, omnem rationis advertentiam prævenientes, essent non consentientibus peccata personalia mortalia, in materia saltem gravi; non enim minus hi concupiscentiæ motus possunt dici dependere à voluntate hominis, ratione causæ, scilicet peccati originalis, illi in Adamo voluntarii; quàm dicta omissio actûs fidei unius Dei existentis, à voluntate istius adulti, Deum invincibiliter ignorantis ratione peccati originalis; illud tamen evidenter repugnat Concil. Trid. sess. 5. can. 5. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem peccati, hac S. Synodus fatetur & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet.*

Aliundè responsio illa, est futile fundamentum, in quo Bajani damnatam illam à Pontificibus propositionem fundant, & consequenter ad illud, subsisteret peccatum actuale personale in eo, qui in pœnam originalis peccati, esset privatus omni voluntate, quô nihil absurdiùs. Ex his.

Sequitur clarè, omissionem actûs fidei unius Dei existentis, illi adulto nullô modô posse esse peccatum, utpotè nullô modô voluntariã, aut à voluntate illius adulti dependentem, magis quàm dependeat à voluntate infantis, dormientis, aut perpetuò amentis; ob quam, si censeas adultum illum damnandum, censeas etiam oportet, infantes, dormientes, & perpetuò amentes, ob similes omissiones damnandos, & consequenter ad rationem ac definitionem peccati non pertinere voluntarium, quod non tantum Pontificibus damnantibus illam Baii propositionem

nem repugnat, sed & Augustino evidenter lib. de ver. relig. cap. 13. *Usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullò modò sit peccatum, si non sit voluntarium, & hoc quidem manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat; quare, aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.*

Probatur minor 2. quia ex illa propositione ut vera admissa, deducitur hæc contra Baium ab iisdem Pontificibus proscripta & damnata propositio 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.* ergò &c.

Probatur antecedens: quia talis adultus non potest damnari, nisi ob peccatum mortale, quod in ipso aliud esse non potest, nisi omissio actus fidei unius Dei existentis: atqui omissio illa, est adulto illi invincibiliter Dei unius existentiam ignoranti, omninò necessaria, sive illum actum fidei omninò necessariò omittit: ergò adultus ille peccat, etiam damnabiliter, in eò quod necessariò facit, sive quod necessariò omittit. Probatur major: quia cum brevi illo tempore usus rationis, supponatur manere in gratia baptismali, nec contra ullam aliam legem peccasse mortaliter, solùm restat, ut omittendo actum fidei unius Dei existentis, peccatum committat, ob quod damnetur, quod reipsâ nihil aliud est, quàm ipsum, etiam damnabiliter peccare, omittendo illum actum fidei unius Dei existentis, cujus omissio sub illa ignorantia invincibili, est ipsi hic & nunc omninò necessaria. Ergò &c. Probatur minor; quia illa omissio est hic & nunc homini omninò necessaria, cujus oppositus actus illi omninò hic & nunc est imposibilis; atqui actus fidei supernaturalis unius Dei existentis, est illi adulto sub ignorantia unius Dei existentis invincibili, hic & nunc omninò imposibilis: ergò omissio talis actus est ipsi hic & nunc omninò necessaria, sive necessariò actum illum fidei unius existentis omittit. Major est omnium Theologorum; quia ad imposibile nulla datur potentia. Probatur minor; quia assensus alicui objecto, est omninò imposibilis, ubi non est, nec esse potest, aliqua per intellectum, saltem confusa objecti propositio; atqui in adulto illo, sub ignorantia invincibili unius Dei existentis, est adulto illi invincibiliter Deum ignoranti imposibilis: probatur hæc minor; quia ignorantia invincibilis unius Dei existentis, excludit omnem, etiam confusam, per intellectum Dei unius existentis, tollit ignorantiam invincibilem unius Dei existentis, illamque facit vincibilem, cum per illam advertentiam saltem confusam posit eam superare, si ulterius inquirat, vel ratione naturali, vel ab aliis inquirendo. Ac proindè in illo adulto Deum unum existentem invincibiliter ignorante nulla est, aut hic & nunc esse potest, unius Dei existentis per intellectum, etiam confusa propositio, & consequenter actus fidei est illi hic & nunc omninò imposibilis, & omissio illius actus omninò necessaria; unde secundam illam Propositionem à tribus Pontificibus damnatam, ex illa tanquam vera admissa, hôc modô: *Adultus ille ob solam illam omissionem actûs fidei unius Dei existentis damnatur, & consequenter peccat damnabiliter: atqui illa est adulto illi omninò necessaria, sive omninò necessariò actum fidei unius Dei existentis omittit: ergò homo peccat, etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.*

Dices,

Dices, adultum illum ſub ignorantia invincibili unius Dei exiſtentis, non quidem peccare mortaliter, omittendo actum fidei unius Dei exiſtentis, ſed equidem illum ſalvari non poſſe, defectu alicujus neceſſariò ad ſalutem requiſiti, ſcilicet fidei unius Dei exiſtentis, quæ eſt neceſſaria necesſitate medii ad ſalutem, quæ etſi imposſibilis ſit, nullus tamen ſine illa ſalutem obtinere poteſt, ut rectè notat P. Layman: *Ab eo quod neceſſitate medii eſt neceſſarium, nulla excuſat ignorantia, nulla impotentia.*

Et hoc patet evidenter in infante, in utero matris extra caſum martyrii moriente, qui, licet Baptiſmus illi ut tali ſit imposſibilis, & ejus omisſio neceſſaria; quia tamen illi extra caſum martyrii eſt necesſitate medii ad ſalutem neceſſarius, nulla ipſum imposſibilitas excuſat à damnatione: ergò ſimiliter, licet fides unius Dei exiſtentis, illi adulto, invincibiliter Deum exiſtentem ignorantis ſit imposſibilis, & omisſio actus fidei neceſſaria, quia tamen actus fidei unius Dei exiſtentis, eſt medium necesſitate medii neceſſarium ad ſalutem, nulla ipſum imposſibilitas actus fidei excuſat à damnatione.

Reſpondeo 1. ſi imprimis ille adultus, ſub ignorantia invincibili unius Dei exiſtentis, non peccet mortaliter, omittendo actum fidei unius Dei exiſtentis; ergò concedendum eſt, ipſum in gratia ſanctificante baptiſmali decedere, utpote ſine ullo peccato mortali, ſive originali, ſive actuali perſonali; ſive perſonali quidem, quia ab eo in infantia per Baptiſmum purgatus; & etiam ſine actuali perſonali, quia nullum tale commiſiſſe jam conceditur, cùm non ſit asſignabile præceptum, contra quod deliquiſſet; ac proinde clarè ſequitur, amicum & filium Dei adoptivum, à regno Dei excludi, ad quod per gratiam ſanctificantem jus obtinet,

Reſpondeo 2. inter parvulum iſtum in utero matris extra caſum martyrii ſine baptiſmo morientem, & adultum noſtrum in invincibili ignorantia unius Dei exiſtentis, ſine fide actuali unius Dei exiſtentis decedentem, eſſe evidentisſimam diſparitatem; quia in parvulo iſto ſubſiſtit ſufficiens cauſa damnationis; in adulto autem noſtro non ſubſiſtit peccatum originale, utpotè in baptiſmo remiſſum, nec ob omisſionem actus fidei unius Dei exiſtentis, illi omninò hic & nunc neceſſariam, damnari poteſt, magis quàm infans ille ob omisſionem Baptiſmi illi omninò neceſſariã; ob quas omisſiones, ſi uterque damnari dicatur, clarè ſequitur, utrumque peccare, etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.

Reſpodeo 3. illâ reſponſione dari concluſionem pro ratione; quia, quod eſt in quæſtione, eſt, an fides actualis unius Dei exiſtentis, ſit adulto illi in gratia ſanctificante exiſtenti, & invincibiliter unum Deum exiſtentem ignoranti, necesſitate medii (rigoroſo Theologorum ſenſu, quo illud etiam ad juſtificatos extendunt) neceſſaria, id autem aſſeritur in reſponſione, at à nobis in rigoroſa illa neceſſarii necesſitate medii acceptione cum fundamento negatur, ne amicus Dei, & exiſtens in gratia ſanctificante, omisſione illi omninò neceſſaria peccet, & ob illam damnetur, ſuſtinentes ob abſurdum illud, & ex eo conſequentia, cum P. F. Bonæ Spei in 1. p. diſp. 1. dub. 3. reſol. 2. neceſſarium necesſitate medii definiendum: *Id ſine quo, etiam inculpabilter omiſſo, nullus impius ſalvari poteſt*, quò caſu adultus ille, cùm non ſit impius, ſed in gratia ſanctificante exiſtens

xistens salvari potest, sine fide actuali unius Dei, etiamsi fides illa actualis unius Dei, supponatur necessitate medii necessaria, & nullus, præcisè ob omissionem omninò illi necessariam, damnabiliter peccat, conformiter ad Pontificum declarationes.

Probatur minor 3. quia ex illa propositione, ut vera, admissa, deducitur hæc contra Baium ab iisdem Pontificibus proscripta & damnata propositio 68. *Infidelitas purè negativa, in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Ergò &c.

Probatur antecedens: quia nullus damnatur, aut damnari potest, nisi ob peccatum propriè dictum: atqui ille adultus ob invincibilem unius Dei existentis, ex illa ignorantia necessariò omninò consequentē ignorantiā damnaretur, illa autē ignorantia invincibilis negativa unius Dei existentis, est mera infidelitas negativa; quia sicuti ignorātia illa, est mera & pura inadvertentia, seu incogitantia de Deo uno existente, defectu omnis omninò propositionis unius Dei existentis ex parte intellectus, & ab intrinseco, ita & hæc infidelitas purè negativa, est mera & pura inadvertentia, seu incogitantia de Deo uno existente, defectu prædicationis & propositionis ab extrinseco; ergo infidelitas purè negativa, in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Major patet ex communi sensu omniū Theologorum: minor etiam patet ex supradictis, cum in eo nullum aliud peccatum mortale personale assignari possit, præter illam ignorantiam invincibilem unius Dei existentis, aut omissionē actus fidei unius Dei existentis ex illa ignorātia omninò necessariò consequentem: consequentia patet; quia cum illa ignorantia invincibilis negativa adulti sit ipsa infidelitas negativa, & illa sit peccatum, utpotè, ob quam adultus ille damnetur, consequens est, ut infidelitas purè negativa peccatum sit: undè hunc formo Syllogismum: *Adultus ille ob illam invincibilem ignorantiam unius Dei, quæ sit ipsa infidelitas purè negativa, damnatur: atqui nullus damnatur nisi ob peccatum mortale propriè dictum: ergò infidelitas purè negativa in iis, quibus Deus aut Christus non est prædicatus, peccatum est, & quidem propriè dictum.* Ergò propositionem hanc damnatam ex illa, ut vera, admissa, per legitimam consequentiam, deductam.

Probatur minor 4. quia ex illa propositione ut vera admissa, deducitur hæc, ab Urbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. contra Jansenium proscripta & damnata, *ut impia, blasphema, anathemate damnata & hæretica*, Propositio prima,

Aliqua Dei præcepta, hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque gratia quâ possibilia fiant. Ergò &c.

Probatur antecedens: quia vel illi adulto invincibiliter ignoranti Dei existentiam, actus fidei unius Dei existentis, est à Deo præceptus, vel non? si non sit præceptus; ergò omittendo illum actum fidei unius Dei existentis, non peccat; quia ubi non est lex, sive præceptum, nec prævaricatio; ubi autem non est prævaricatio, ibi non est peccatum, quod est essentialiter legis prævaricatio, ac proinde in illo adulto non est damnationis meritum, uti suprà sæpè probatum est: si illi adulto actus ille fidei sit præceptus (uti necessariò dicendum est, si velint illum adultum ob illius omissionem præcisè non salvandum,

dum,

dum, sed damnandum) deducitur, illud Dei præceptum, homini illi adulto & justo, volenti & conanti, secundùm præsentes quas habet vires, impossibile esse, deesse quoque illi gratiam, quâ possibile fiat; quia cum supponatur adultus ille in infantia baptizatus, & invincibiliter Deum existentem ignorans, est justus, & actus fidei unius Dei existentis est ipsi impossibilis; quia cum ipsius ignorantia sit invincibilis, quæ morali adhibitâ diligentia ab eo superari non potest, clarè sequitur, quod, sicut, stante illâ invincibili ignorantiâ unius Dei existentis, nullam unius Dei existentis cognitionem habere potest, ita etiam actus fidei unius Dei existentis impossibile sit illi adulto, etiam volenti & conanti, & illi in tali statu gratiam deesse, quâ possibile fiat. Unde propositionem hanc damnatam, ex illa propositione admissa ut vera, hôc modô deduco: *Actus fidei supernatralis unius Dei existentis, est à Deo homini illi adulto justificato & invincibiliter Deum ignoranti praeceptus: atqui ille actus fidei, est adulto in illo statu volenti & conanti secundùm praesentes quas habet vires, impossibilis, deest quoq; ipsi, ut tali, gratia qua possibilis fiat: ergò aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm praesentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque gratia quâ possibilia fiant.*

Undè rectè & prudenter hanc consequentiam notavit Reverendus Admodum Pater Franciscus Bonæ Spei, in 1. p. D. Thom. disp. 1. dub. 3. resol. 2. n. 52. dum ait: *Quid obsecro aliud est, fidem de Deo actualem necessitate medii* (eo sensu, quo communiter sumitur à Theologis) *necessariam facere adulto justificato, pro eo tempore, quô Deum invincibiliter, seu inculpabiliter ignorat, quàm adultum illum, jam per Baptismum justificatum & filium Dei adoptivum, ad impossibile, pro tempore illo, sub aeternae damnationis poena obligare, contra Trid. Sess. 6. cap. 11. quò nihil crudelius, & à paterno in filium adoptivum affectu magis alienum.*

Objicies 1. contra nostram propositionem, Authoritatem S. Scripturæ ad Hæbr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et ibidem. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est.* Atqui ille adultus non habet fidem: ergò Deo placere, vel ad illum accedere non potest.

Respondeo ad primum locum Apostoli, illum loqui (cùm generaliter loquatur) de fide generaliter sumpta, sive de habituali vel actuali; alioqui cum generali sua locutione non solùm concludit adultos, sed etiam parvulos, & actualis in parvulis non possit habere locum, etiam concluderet parvulos baptizatos non posse placere Deo sine fide actuali, quod est hæreticum. Unde sensus istius loci Apostoli hic est: sine omni omninò fide, vel actuali, vel habituali, impossibile est placere Deo, sine actuali, impiis adultis; sine habituali, infantibus, amentibus, & consequenter adultis per Baptismum justificatis, & in ignorantia invincibili unius Dei existentis constitutis; quia hi per respectum ad fidem actualem unius Dei existentis, comparantur parvulis, cum illi non minus sint actualis fidei incapaces, quàm infantes.

Respondeo ad secundum Apostoli locum; illum non militare contra nostram propositionem; quia evidenter loquitur de Infidelibus nondum conversis ad fidem Christi, ac existentibus, saltē in peccato originali, ac sic de impiis accedentibus per justificationis gratiam ad Deum; & ratio est; quia acces-

ſus ad Deum tanquam ad terminum *ad quem*, præſupponit neceſſariò tanquam terminum *à quo*, averſionem à Deo; undè cum Apoſtolus in illis verbis præſupponat averſionem à Deo, tanquàm terminum *à quo*, & converſionem, ſeu acceſſum ad Deum, tanquam terminum *ad quem*; nullus enim ad Deum accedit, niſi ab eo averſus, evidenter loquitur de impio à Deo per peccatum averſo, & per juſtificationem (ad quam actualem fidem in adultis admittimus neceſſariam) ad Deum accedente; talis autem non eſt adultus ille, de quo in noſtra propoſitione, utpote qui jam per Baptiſmi gratiam, tanquam filius adoptivus ad Deum acceſſit, & ipſi inſertus ſit.

Objicies 2. Authoritatem Auguſtini, Enchrid. cap. 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas.* Conformiter etiam loquitur lib. 9. de Trinit. cap. 7. Aut charitate, aut cupiditate. Atqui in illo adulto, non eſt Dei charitas, ergò regnat carnalis cupiditas.

Reſpondeo 1. Authoritatem illam S. Auguſtini non poſſe intelligi de charitate Dei actuali, quâ Deus ſuper omnia amatur actu, & de actuali carnali cupiditate, quâ mundus amatur, ſic ut velit, illum qui Deum actualiter non diligit, neceſſariò diligat mundum, & ea quæ in mundo ſunt; quia alioqui approbaret evidenter & confirmaret propoſitionem 38. contra Bajum à tribus Pontificibus damnatam. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur.* Quibus cohærent plures aliæ contra eundem ab iiſdem Pontificibus damnatæ: ut

16. *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.*
25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.*
34. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.*
40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati* &c.

Si autem intelligatur de charitate habituali, nihil contra adultum illum, de quo noſtra propoſitio loquitur, evincit, quia in illo eſt Dei charitas habitualis, quam infuſam accepit per baptiſmum in infantia ſuſceptum.

Reſpondeo 2. Auguſtinum illo loco per charitatem intelligere amorem boni conducentis ad vitam æternam conſequendam, qui nobis in S. Scriptura, quæ fideles ad ſalutem dirigit, præcipitur, ut docet Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. *Non præcipit Scriptura niſi charitatem.* Qualis autem illa ſit, declarat lib. 8. de Trinit. cap. 10. *Quid eſt dilectio vel charitas, quam tantoperè Scriptura laudat ac prædicat, niſi amor boni?* per carnalem autem cupiditatem intelligere ex oppoſito amorem non conducentis ad ſalutem, ſicque verum eſt, ubi non eſt amor boni conducentis ad æternam ſalutem, eſt amor non conducentis ad ſalutem, omnis enim homo neceſſariò ponit agendo actus ad ſalutem conducentes, vel non conducentes ad ſalutem; omnis enim actus neceſſariò conducit, vel non conducit ad ſalutem.

Objicies 3. Authoritatem S. Auguſtini de grat. & lib. arbitrio cap. 3. *Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi proptereà non*

non credidit, quia non audivit omninò quod crederet, sed fortassis, ut mitius ardeat. Et consequenter ad illud loquitur Epist. 105. ad Sixtum: *Ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt pœna peccati: ergò in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Ergò ignorantia in illo adulto, qui tanquam simpliciter nescit, non sic illum excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò quod crederet, & consequenter non est in eo justa excusatio, sed justa damnatio.

Respondeo: Augustinum in illis locis agere de infidelibus ignorantibus, & quidem etiam invincibiliter Deum; sed de nondum à peccato originali justificatis per Baptismum aut contritionem perfectam cum Baptismi voto, qui licet ratione invincibilis suæ ignorantiæ excusentur à peccato suæ infidelitatis; tamen per illam non justificantur à peccato originali, in quo sunt & moriuntur, & ratione illius, non excusantur, ut sempiterno igne non ardeant, si proptereà non crediderunt, quia non audiverunt omninò quod crederent; nec est in iis justa excusatio ab originali peccato, sed justa ob illud damnatio: & hæc genuina Augustini explicatio satis colligitur ex principio illius capitis de gratia & lib. arbit. Et ex eo quod ipse Aug. se explicans habet in tract. 89. in Joannem, ubi de illis ignorantibus invincibiliter defectu prædicationis, docet: *Illos ad quos Christus non venit, & quibus non est locutus, excusationem habere, non de omni suo peccato* (quia vel sunt adhuc in suo originali peccato, vel propriâ voluntate alia commiserunt) *sed de peccato illo, quo in Christum non crediderunt.* Ex qua Augustini explicatione satis clarè patet adultum illum invincibiliter Deum ignorantem, excusationem habere ab eo peccato, quo in Deum actualiter non credidit; & cum aliundè de nullo alio peccato accusari possit, sive de originali, sive de actuali personali, utpotè ab illo in baptismo purgatus, & hoc non commisisse supponatur, necessariò de mente D. Augustini per illam ignorantiam invincibilem, sic excusatur, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò quod crederet, in illoq; sit justa excusatio, & non justa damnatio.

Objicies 4. Authoritatem S. Bernardi serm. 35. in Cantic. circà finem: *Ecce sic maledicetur homo, qui ignorantiam Dei habere inventus fuerit. Dei dicam, an sui? utrumque sine dubio, utraque ignorantia damnabilis est, utraque sufficit ad perditionem. Vis scire quia ita est? sed de Dei minimè dubitas; si tamen constat tibi, non aliam vitam esse æternam, quam ut Patrem cognoscas Deum verum, & quem misit Jesum Christum:* atqui ille adultus habet ignorantiam Dei ut supponitur, & hæc damnabilis est, hæc sufficit ad perditionem, & de hoc minimè dubitandum. Ergò &c.

Respondeo: D. Bernardum illo serm. 35. non agere de ignorantia existentiæ unius Dei, sed de ignorantia perfectionum ipsius Dei, præsuppositâ jam in anima fideli ipsius Dei; quod autem dicat, illam esse damnabilem, & sufficere ad perditionem, nihil nos urget; quia modum quo ignorantia illa fidelem jam animam deducat ad perditionem, satis clarè explicat serm. 38. ubi juxta promissum serm. 35. in in fine) de Dei

illa ignoantia damnabili, & ad perditionem sufficiente agit, & se egisse, juxtà promissum in fine expresse fatetur his verbis: *Promiseram me de duplici ignorantia utiliter disputaturum, si quo minus implesse videor, date veniam volenti*; illam enim ibidem docet parturire desperationem, ob præterita mala multa & maxima, ob satisfactionis pro omnibus difficultatem, ob depravatam consuetudinem difficulter superabilem, & ex hac sequi impœnitentiam, quæ sit delictum maximum, & blasphemia irremissibilis; sicque ob hos effectus ignorantiam illam damnabilem esse, & sufficere ad perditionem; cum autem hi effectus competere non possint ignorantiæ unius Dei existentis; quis enim desperet de misericordia illius, quem non cognoscit? quis ex desperatione accipiendæ misericordiæ; decernat in peccato finire vitam, qui peccata, & peccatis offensum ignorat? nullus certè; unde cum effectus ignorantiæ, quas ibidem enumerat Bernardus, non ignorantiæ invincibili unius Dei existentis, sed ignorantiæ perfectionum Dei, quem jam cognoscit existere, competant ac conveniant, de hac, non de illa locutus satis colligitur. Mens igitur Bernardi est ostendere, quanta mala anima fidelis & Deum cognoscens existere, patiatur, & in quam gravia peccata incurrere possit ex imperfecta perfectionum Dei cognitione, & sui, ut vel obiter legenti patebit. Unde magis ad rem

Objicies 5. aliam S. Bernardi authoritatem ex lib. de dilig. Deo cap. 2. *Inexcusabilis est omnis, etiam Infidelis, si non diligit Dominum Deum suum toto corde, totâ animâ, totâ virtute suâ; clamat nempè intus ei innata, & non ignota rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat*: atqui ille adultus non diligit Dominum Deum suum toto corde, totâ animâ, totâ virtute suâ, utpotè illum non cognoscens; ergò juxtà mentem S. Bernardi inexcusabilis est.

Respondeo: S. Bernardum illo loco agere de positivè infideli, qui propositâ aliquo modo sibi Dei existentiâ, per naturalem cognitionem, illum existentem cognoscere, si velit ulterius inquirere, facilè potest, & negligit, id enim satis insinuat per illa verba, *cui se totum debere non ignorat*: de tali autem nos non loquimur, sed de negativè infideli, sive in quo nunquam existentiæ Divinæ aliquæ species fuerunt excitatæ, sed meram habet carentiam advertentiæ, & & reflectionis ad Dei unius existentiam, qualis quandoque, etiam in fidelibus pro aliquo tempore reperitur; cujus rationi, cùm sit ignota justitia, & cum illi se totum debere ignoret, quem invincibiliter ignorat, necessariò excusabilis est, nisi supradictæ contra Bajum & Jansenium propositiones, à variis Pontificibus proscriptæ & damnatæ resuscitentur, & à Pontificio fulmine vindicentur ac sanentur, quod diffidimus.



§. VIII.

§. VIII.

Vindicatur Propositio secunda pro prima parte.

SEcunda Propositio, quantum expiscari nobis licuit, est hæc P. Sebastiani Thesi 14. *Lex humana positiva, nisi Divinam aut naturalem interpretetur, ad actus internos obligare non potest, etiam in directè.*

Hæc Propositio quoad illam partem, quod lex humana non possit obligare directè ad actus internos, sæpissimè defensa est Lovanii in publica Facultatis Theologicæ schola, quam Hallas vocant, & toties à Doctoribus & Theologis Lovaniensibus, tum in disputationibus publicis, tum in editis libris asserta, ut folium integrū, imò libellū facilè impleturi essemus, si singulas Theses in Hallis defensas, & librorū authoritates colligere ac describere vellemus; & nesciamus an pauci probati Authores in contrariū allegari possent; unde nobis persuadere non potuimus, censuras illas tàm graves, ex judicio illorū Theologorū in primam partem hujus Propositionis cadere; unde parcentes chartæ & calamo ad secundam partem transimus.

§. IX.

Vindicatur 2. pars 2. Propositionis Magistrorum ac Sacræ Theologiæ Professorum authoritate.

PRo 2. hac parte, faciunt sequentes Theses, quæ generaliter loquuntur, in publicis Scholis Lovaniensibus defensæ & propositæ.

Primò: Lovanii 1647. 2. Junii sub Eximio Domino van Werm. *Lex humana tàm civilis, quàm Ecclesiastica, actus merè internos non præcipit, sed nec præcipere potest.*

2. Lovanii 1647. 30. Januarii sub Eximio Domino [A] credimus ab Angelis: *Hæc præcepta Decalogi Authoritate Divina ponuntur actibus internis. Controvertitur, an eo etiam se extendere possit potestas Ecclesiæ legislativa; parti negativæ adhæremus.*

3. Lovanii 1661. 12. Decembris sub Eximio Domino van Werm. *Ad actus verò purè internos, Ecclesiæ potestas non extenditur.*

4. Lovanii 1665. 27. Augusti sub Eximio Domino Sinnichio: *Potest lex humana præcipere actus externos; non verò etiam actus merè internos.*

Hæ autem propositiones, cùm generaliter loquantur, nec distinguant inter præcipere directè, & indirectè, nec inter legem ut directricem politiæ Ecclesiasticæ, aut civilis, & ut interpretatricem

cem legis Divinæ aut naturalis, multò magis restringunt potestatem legislativam Ecclesiasticam & civilem, quàm nostræ propositionis pars secunda, quæ casum interpretationis Legis Divinæ aut naturalis excipit.

His meritò addendæ Theses sequentes: quæ ad actum internum legem humanam non obligare supponunt.

Anno 1659. 14. Januarii approbavit, publicèque præsedit Eximius Dominus Sinnichius huic Thesi: *Non est necessarium, ut quis præcisè satisfaciat præcepto Ecclesiæ, ut habeat internam aliquam devotionem; cùm Ecclesia actum merè internum præcipere nequeat; imò neque actum internum, quatenus hic necessarius est, ut actus externus quem præcipit, habeat rationem veræ virtutis; sed solum quatenus est absolutè necessarius, ut actus externus in actu physico, liberè, & humano modo ponatur: undè qui toto tempore Sacri, voluntariè est distractus, modo sufficienter sibi præsens sit, ut Sacro cum externa reverentia debitè assistat, huic præcepto satisfacit.*

Anno Domini 1664. 17. Januarii, Eximius Dominus Pontanus publicè patrocinatus est huic Thesi: *Omnes Christi fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, obligantur Ecclesiastico præcepto, juxta caput omnis utriusque sexus, ad minus semel in anno hoc Sacrmentum sumere, idque in Paschate: cui præcepto etiam satisfacit, qui indignè cum sacrilegio mortali communicat.*

Anno 1634. 18. Maii hæc defensa est: *Impletur probabiliter hoc præceptum per communionem indignam.*

Anno 1640. 1. Februarii Eximius Dominus Jacobus Pontanus defensioni hujus Theseos præfuit & patrocinatus est: *Præter hæc duo sola Eucharistia jure Divino præcepta est ratione sui: Eucharistia & pœnitentia insuper Ecclesiastico, cui tisfit per communionem sacrilegam, similemque confessionem, si talis valida detur. Qui prævidet se à communione Paschali, aut confessione in fine anni impediendum, eum non teneri putamus, vel à communione Paschali liberamus.*

Item & aliæ Theses, tum Lovanii, tum alibi à Sacræ Theologiæ Professoribus defensæ.

Primò Lovanii 1656. 29. Aprilis sub P. Francisco Bonæ Spei: *Lex civilis neque ad actus purè internos, aut æquivalenter internos, ut politia externa rectrix extenditur.*

2. Lovanii 1659. mense Maii sub P. Benedicto à Matre Dei: *Lex civilis ad actus purè internos, nequidem indirectè obligat, quà politia externa rectrix.*

3. Lovanii 1664. 2. Octobris: *Neque Lex civilis ad actus purè internos, ut politiæ externa civilis rectrix extenditur.*

4. Lovanii 1668. 11. Aprilis Thesi 19. eadem penè verba.

5. Lovanii 1670. 14. Aprilis sub P. Jacobo à S. Antonio: *Lex civilis, ut rectrix, dictos actus* (nempè merè internos) *etiam indirectè præcipere non potest.*

6. Lovanii 1662. 6. Novembris sub P. Edmundo ab Angelis: *Probabiliter lex civilis non extenditur ad actus internos, etiam indirectè.*

7. Antvverpiæ 1658. 14. Maii sub P. Ildephonso à S. Philippo: *Lex Ecclesiastica & civilis, ut rectrix politiæ sibi propria, nec una, nec altera, ad actus merè internos obligare potest.*

8. Brugis 1676. 23. Martii sub P. Patritio à S. Georgio: *Ecclesiastica ut rectrix, non magis quàm civilis sic sumpta obligare potest ad ponendos vel omittendos actus internos, etiam indirectè.*

9. Alo-

9. Alosti 1671. 8. Aprilis sub P. Alexandro à S. Teresia: *materia legis humana sunt humana actiones, qua cum sint per se interna & occulta, nec per effectum externum manifestata, nequidem indirectè legi civili aut Ecclesiastica sunt subjecta. Si illa consideretur ut politia civilis, & hac, ut exterius communitatis Ecclesiastica gubernativa.*

§. X.

Vindicatur 2. pars authoritate Scriptorum.

ABundant etiam pro hac parte nostræ Propositionis Eximii & doctissimi Scriptores Theologi, hos proferamus. Primò: Eximius Dominus Wiggers S. Theologiæ Doctor Lovaniensis de Legibus quæst. 96. à. 3. n. 7. *De lege civili, hoc imprimis pro indubitato ab omnibus tenetur, quod non possit illa sese ad actus internos extendere; quia immediatus & proprius ejus finis in tranquillitate & pace externa consistit, qua ab exterioribus pendent, non ab internis.* De lege autem Ecclesiastica n. 9. sic resolvit: *Negativa sententia* (quod scilicet non possit obligare ad actus internos), *est communior. Ita tenet D. Thom. supra q. 91. art. 4. ubi expressè docet, non posse homines ferre legem de interioribus moribus, qui latent, sed tantùm de exterioribus qui apparent. Ita docent Sylvester verbo excommunicatio, Angelus verbo Hareticus, Driedo lib. 3. de libertate Christiana cap. 5. Navarrus in cap. cogitationis de pœnitentia disp. 1. Malderus hic ad art. 3. dub. 2. cum multis aliis quos citat.* Conclusio autē probationis ipsius est hæc: *Ergo per consequens, non poterit humana potestas qualiscumque de talibus* (nempe actibus merè internis) *ferre leges.*

2. Illustrissimus D. Malderus Episcopus Antvverpiensis ac Doctor Lovaniensis de legibus q. 46. art. 3. dub. 2. *Est hac communis sententia probabilior; verisimile est enim Deum & Christum, qui solus novit cogitationes cordium, solum etiam judicare & pracipere posse actus merè internos, adeò ut illi ex genere suo sint exempti à tribunali humano, etiam Ecclesiastico. Hanc sententiam non solum tenent Thomista sed omninò videtur communior Doctorum, Paludani in 4. dist. 17. q. 2. Alphonsi à Castro lib. 2. de justa hæreticorum punitione cap. 18. & aliorum, quos videre licet apud Suarem tom. 5. in 3. partem disp. 4. sect. 2. qui etiam idem tenet.*

3. Caspensis tract. de legibus disp. 3. sect. 7. n. 74. *Certum est primò legem tam Canonicam, quàm civilem non posse versari circa actus merè internos.*

4. P. Joannes Baptista de Lezana, Romæ de licentia Magistri S. Palatii impressus, tract. 6. de legibus disp. 7. q. 6. *Dico 3, Actus isti humani, quos pracipere vel prohibere potest lex humana, non sunt merè interni, sed solùm externi. Ita Aversa, Pasqualigus, Salas, &c.*

5. D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare; judicium autem hominis esse non*

se non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solùm de exterioribus actibus, qui apparent.

6. P. Stephanus à S. Paulo de legibus tract. 2. disp. 3. dub. 5. *Dico 2. Lex humana, sive civilis, sive Ecclesiastica, nequidem indirectè præcipere potest ullum actum merè internum.*

7. P. Diana p. 9. tract. 8. in coordinato autem tom. 6. tract. 3. resol. 2. *Licet ego prorsus sustineam contra Merendam cum Aravio, legem Ecclesiasticam non posse per se præcipere, vel prohibere actus merè internos. Ubi citat 28. Auctores hanc sententiam defendentes.*

8. Castro-Palao de legibus tract. 3. disp. 1. puncto 6. n. 2. *Dicendum est; non posse civilem aut canonicam legem circa actus merè internos versari.*

9. P. Franciscus Bonæ Spei tract. de leg. disp. 6. dub. 1. resol. 2. n. 39. *Petes, an lex Ecclesiastica ab Ecclesia ut rectrice externa politiæ Ecclesiasticæ emanans, indirectè saltem possit actus internos præcipere, aut prohibere? Respondeo, negativè; quia id nihil juvat ad quietem & pacificam politiæ Ecclesiasticæ (quæ in externis consistit) administrationem.* Conformiter resolverat disp. 5. dub. 1. resol. 2. n. 18. de lege civili.

Quia autem, ubi communiter, imò universaliter Auctores docent, legem humanam posse indirectè præcipere actus internos, facilè ostendere possumus, legem humanam tunc procedere, ut interpretatricem Legis Divinæ aut naturalis, & non ut rectricem politiæ externæ Ecclesiasticæ aut civilis, non immeritò in nostrum favorem citare possumus eos, qui docent legem humanam non posse directè præcipere actus merè internos; tales autem sunt, præter statim citatos, qui generaliter loquuntur, plurimi.

1. P. Iræneus à S. Jacobo de leg. tract. 2. disp. 3. §. 9. *Nulla lex humana potest per se directè & immediatè præcipere actus purè internos.*

2. Stephanus à S. Paulo de leg. tract. 2. disp. 3. dub. 5. *Dico cum communi ferè omnium, lex humana, sive Ecclesiastica, sive civilis, non potest directè præcipere actus merè internos.*

3. P. Augustinus à V. Maria de leg. disp. 4. q. 6. resol. 1. *Dico 1. nulla lex humana, vel præceptum humanum, potest directè præcipere vel prohibere actum purè internum.*

4. Joannes Martinez de Prado cap. 3. de leg. q. 4. §. 1. *Dico 1. nulla lex humana, etiam Pontificis Summi, potest directè præcipere vel prohibere actus omninò internos.*

5. P. Gabriël à S. Vincentio in 1. 2. disp. 24. de leg. dub. 2. *Nulla lex humana, neque civilis, neque Ecclesiastica, potest directè, primò, & per se præcipere actus internos.*

6. Illustrissimus P. Herinx de leg. disp. 3. q. 8. *Dico, Ecclesia non potest præcipere, vel prohibere directè actus merè internos.* Ubi pro sua sententia citat Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reform. matrimonii, ibi, *quæ* (Ecclesia) *de occultis non judicat.*

7. Mastrius disp. 2. de legibus q. 4. art. 2. n. 94. *Secundò dicendum est, de facto legem, tàm Canonicam, quàm Civilem circa actus merè internos versari non posse.*

8. P. Platel. de leg. cap. 3. n. 88. *Lex humana non potest directè præcipere vel prohibere actus merè internos.*

9. Alloza in Alphabeto morali verbo *Lex*

bo *lex* n. 23. *Lex civilis non potest directè prohibere actum interiorem, nec ullum punire.*

10. Manigrat. in praxi pastorali p. 2. cap. 9. de leg. ad hanc quæstionem tertiam : *Possuntne leges Ecclesiasticæ præcipere aut prohibere actus internos ? Respondit non directè, sed indirectè.*

11. P. Berulle de lege humana: *sed quæritur, an interni, absque ordine ad externos possint præcipi ? Resp. negativè; quia leges humanæ non fiunt, nisi potestate fori externi , & quæ respicit bonum commune modo humano comparabile.*

Tædet nos ulterius in re tam recepta & communi Auctores inspicere & coacervare; nullum enim hactenus aperuimus, qui non faveret, unde transimus.

§. XI.

Vindicatur 2. propositio ratione.

Hujus Propositionis nostræ fundamentales rationes suppetunt quamplurimæ, quas Censores nostri dignabuntur legere passim apud Auctores, etiam Eximios Doctores Lovanienses; addemus unicam, quæ cunctas dispellat Censorum nostrorum tenebras, & præjudicium, quod Ecclesiasticæ & civili legislativæ potestati inferri prætenditur per nostram propositionem, penitus auferat.

Lex, sive Ecclesiastica , sive civilis, ut externæ politiæ rectrix, cum per se ordinetur ad pacificam & tranquillam externorum consensum & unionem, ad quam impertinentes sunt, & nullo modo spectare possunt actus interni, omninò potestas legislativa ad similes actus obligandi, videtur inutilis & superflua, maximè si illam ut interpretatricem legis Divinæ aut naturalis agentem, & præcipientem ad similes actus internos obligare posse defendatur, non solùm indirectè, sed etiam directè, uti nos defendimus: sic enim plus admittimus & concedimus potestati legislativæ humanæ, quàm illi, qui generaliter docent, illam non extendi, nec posse extendi ad actus merè internos, quos suprà magno numero citavimus; vel illi, qui docent illam quidem posse indirectè illos præcipere, at nullo modo directè, qui penè sunt sine numero: contra primos enim illam extendimus ad actus merè internos; & contra secundos, etiam potestatem directam ad actus illos extendimus; unde absurda, quæ sibi Censores nostri ex nostra Propositione in præjudicium legislativæ potestatis Ecclesiasticæ sequi, falsò imaginantur, omninò evitantur per nostram sententiam, circà lectionem Horarum, confessionem annuam, Communionem, auditionem Missæ &c. contendimus enim similibus præceptis Ecclesiasticis minimè satisfieri actibus merè externis, quod tamen plures Doctores Lovanienses (ut suprà ostendimus) defenderunt non ita pridem ; cum in illis procedat ut interpretatrix legis Divinæ aut naturalis, interpretatur enim & determinat præceptum cultus Divini naturale, circa tempus & ma-

materiam indeterminatam, interpretando & determinando illi satisfaciendum per recitationem Officii Canonici singulis diebus, per confessionem, & Communionem annuam, per auditionem Missæ Dominicis & festivis diebus &c. Nos interim pergamus ad tertiam.

§. XII.

Vindicatur 3. Propositio authoritate Sacræ Theologiæ Professorum.

EA continetur Assertione 15. Theseos P. Marci, & est hæc: *Lex civilis, nisi id exprimat sub culpa, non ligat.*

Illa autem præteritis temporibus sine ulla offensione publicis Thesibus proposita & defensa fuit temporibus & locis sequentibus.

Primò: Lovanii 1656. 29. Aprilis sub P. Francisco Bonæ Spei: *Lex civilis, neque ad culpam, nisi exprimat, ut potest, vincit, tametsi capitis pœnam taxet.*

2. Lovanii 1659. Mense Maii sub P. Benedicto à Matre Dei: *Ad culpam nisi exprimat, ut potest, non obligat lex civilis.*

3. Lovanii 1653. 30. Junii sub Patre Francisco Bonæ Spei: *Lex civilis tametsi pœnam capitis taxet, ut rectrix, &c. ad culpam, nisi exprimat, non vincit.*

4. Lovanii 1654. 2. Octobris: *Lex civilis, neque sub culpa, licet possit, nisi exprimat, ut potest, vincit, tametsi pœnam capitis taxet.* Idem

5. Lovanii 1670. 14. Aprilis sub P. Jacobo à S. Antonio: *Lex civilis ut rectrix politiæ civilis, sub culpa quidem potest, sed nisi id exprimat, tametsi capitis pœnam taxet, & sit participatio legis Divinæ, sub culpa non vincit.*

6. Mechliniæ 1659. 10. Maii dedicata Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi, sub Patre Francisco Bonæ Spei in Comitiis Provincialibus: *Lex civilis, neque ad culpam, nisi exprimat, ut potest, vincit, tametsi capitis pœnam taxet.*

7. Antvverpiæ 1658. 14. Maii sub P. Ildephonso à S. Philippo: *Lex civilis, ut rectrix politiæ sibi propriæ ad actus externos potest obligare, in sola conscientia, sub peccato mortali, vel veniali, etiam ubi materia gravis, prout Legislator expresserit.*

8. Brugis 1676. 23. Martii sub P. Patritio à S. Georgio: *Hoc ipso quod materia vel pœna sit gravis, etiam capitis, non obligat sub mortali, nisi aliunde constet clarius.*

Possumus & in favorem nostrum citare omnes, qui legum civilium obligationem sic dependentem ac determinandam ab intentione Legislatoris censent, ut non obstante quod sit materia gravis, possit transgressio per intentionem & voluntatem illius esse levis. Si enim intentio Legislatoris, non obstante gravitate materiæ, possit efficere, ut transgressio tantùm sit levis, quidni illa efficere posset, ut esset obligatio in conscientia tantùm, aut obligatio ad pœnam tantùm, aut ad culpam civilem? probati autem Authores extant, qui obligationem in conscientia distin-

distinguunt ab obligatione sub culpâ; hôc autem suppositô cùm sine expressione intentionis Legislatoris, maneat dubium & obscurũ, quam obligationẽ intendat Legislator Subditis imponere; in dubiis autẽ & obscuris, quod minimum est, sequamur, contendimus leges civiles non obligare sub culpa, sed in conscientia tantùm, nisi aliter exprimat; sicuti juxtà illos in dubio intentionis Legislatoris obligant sub veniali tantùm, etsi materia sit gravis: ii autem, qui obligationem ita dependentem faciunt ab intentione legislatoris, sunt plurimi, etiam Doctores Lovanienses, qui id publicè in Hallis propugnârunt.

Primò: Eximius Dominus Sinnichius 1665. 27. Augusti: *In materia gravi violatio legis humanæ, ex intentione legislatoris, quandoque mortalis est, quandoque venialis.*

2. Eximius D. Fromundus 1647. 7. Maii.: *Qui legislator in materia gravi potest obligare sub culpa levi,*

3. Eximius P. Thomas Leonardi 1666. 23. Martii: *Hæc item est duplex Ecclesiastica & civilis, obligatque in conscientia... & quidem, si materia sit gravis sub culpa gravi vel levi, prout voluerit legislator.*

4. Eximius Dominus van Werm 1665. 5. Martii: *Pro materiæ varietate & voluntate legislatoris, quandoque sub mortali (si materia gravis sit) quandoque tantùm sub veniali, si levis sit, vel si gravis quidem sit materia legis, legislator tantùm intendat leviter obligare.*

§. XIII.

Vindicatur 3. Propositio Scriptorum authoritate.

DEdimus S. Theol. Eximios & Doctissimos Professores, qui propositionem nostram in terminis publicè proposuerunt ac defenderunt, & qui faverunt, demus & probatos Auctores, qui editis libris illam evulgârunt in terminis, qui illi evidenter favent, quique plura docuerunt.

Primò: Pater Augustinus à Virgine Maria de legib. disp. 4. q. 1. resol. 4. *Dico 4. nisi exprimatur in lege humana, intentio in conscientia obligandi censeri non debet obligare in conscientia, ad actum de quo primum disponit.*

2. P. Iræneus à S. Jacobo de leg. sect. 3. §. 13. *Potest legislator temperare suam intentionem, atque in materia gravi, nullatenus onerare conscientiam, aut solùm sub veniali præcipere.*

Ibidem. *Requiritur 2. intentio obligandi in conscientia, certa ac proportionata materiæ gravitas, & expressio intentionis in conscientia obligandi, ut lex obliget in conscientia.* Unde infra etiam docet, *non sufficere ad obligationem in conscientia, intentionem & materiæ gravitatem, sine expressione intentionis.*

3. P. Thomas Hurtado tom. 2. resol. moral. tract. 8. cap. 1. resol. 9183. *His adjunge, valde probabile esse, & tutum in praxi, quod lex pœnalis pura aut mixta,*

non obligat, nisi expressè id declaret legislator. Sic tenent Villalobos, Navarrus, Gomez, Joannes, Andreas &c.

4. P. Franciscus Bonæ Spei de leg. disp. 5. dub. 3. resol. 2. *Si lex civilis non exprimat intentionem legislatoris, circa obligationem sub peccato, & pœnam (etsi gravem, v.g. capitis) pro transgressoribus taxet, sive materia sit gravis, sive levis, ut rectrix politiæ civilis, ad solam pœnam obligat.*

5. P. Arriaga de leg. disp. 16. sect. 3. n. 26. *Non est necesse, ut omnis lex aut præceptum inducat obligationem, quæ ad mortale aut veniale sufficiat, id quod ex ipsius legislatoris voluntate provenit.*

Nobis etiam evidenter favent omnes, qui docent quantitatem obligationis legis civilis, dependere ab intentione & voluntate legislatoris; cujus oppositum non ita pridem docere cœperunt quidam Lovanienses; illi autem plures sunt.

Primò: Eminentissimus Toletus summa casuum lib. 8. cap. 19. n. 3. *Quando Superior intendit obligare ad mortale, tunc obligat, quando autem intendit non obligare, non obligat.*

2. Pater Stephanus à Sancto Paulo de leg. disp. 3. dub. 3. n. 18. *Dico 1. licet in lege civili, pœna, etiam gravis taxetur, & ipsa etiam materia sit gravis, non ideò statim judicandum est, legem obligare sub mortali.*

3. Valentia disp. 7. q. 5. de lege humana p. 6. fol. 960. *Et quidem quod ad legislatores sæculares attinet, minus videtur de probabilitate hujus sententiæ dubitandum; cùm illi, ut Navarrus etiam notat, rarò intendant obligare in conscientia; itaque cùm aliud non explicant, videntur agere solùm de pœna temporali.*

4. P. Caspensis de leg. disp. 3. sect. 4. n. 43. *Ubi non constat de mente legislatoris, debemus in meliorem partem legis interpretari, ut solum obligent ad pœnam: ergò interim dum non intendit expressè obligare, non obligat, nisi ad pœnam.*

Et infrà: *Legislator, qui ad pœnam temporalem potest obligare, & etiam ad æternam, si tantum meminit solius temporalis, non videtur intendisse obligare ad æternam.* Et subdit n. 46. *Unde ut docuit Malderus 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 15. Fraudantes vectigalia, non sunt urgendi à Confessariis ad restitutionem, & possunt licitè absolvi; quia sequuntur opinionem probabilem;* cui tamen in hoc puncto nos minimè assentimur.

5. Donatus Laynensis in praxi Regul. tract. 1. de legib. n. 1. fol. 29. *Si intentio Superioris fuerit, se velle obligare subditos ad culpam, vel ad pœnam tantùm, & ita expresserit, & planè declaraverit, omninò standum declaratæ huic voluntati, & secus dicere, est mentiri; quia actus agentium non excedunt intentionem eorundem, & obligatio, ut dictum est, intrinsecè pendet à voluntate & intentione legem ferentis.*

6. Navarrus in Manuali cap. 23. *Probabilius nobis videtur, leges humanas, etiam præcipientes (præsertim sæculares, quæ pœnam temporariam constituunt) in dubio, ad æternam non obligare, quatenus sunt leges ejus, qui eam pœnam statuit, quia in dubio judicare debemus, legem esse minus pœnalem cap. in pœnis de regulis juris lib. 6. & lege si præses, & lege de interpretatione ff. de pœnis, tum quia, qui de duobus propositis, alterum affirmat, alterum negare videtur .... tum quia consuetudo antiqua ita videtur interpretata.* Hanc sententiam lib. 1. consil. 3. cons. de constitutione affirmat certã.

7. P. Ja-

7. P. Jacobus Platelius p. 2. cap. 3. n. 92. *Quare non solùm est in potestate legislatoris, legem ponere, vel non ponere, sed etiam ei quantitatem obligationis determinare intra capacitatem materiæ; cùm enim lex vim obligandi proximè accipiat à voluntate legislatoris, ab eadem proximè accipere debet determinationem ad obligationem gravem vel levem.*

8. Marcus Vidal. de voluntatis actibus inquisitione 1. n. 8. *Lex non obligat nisi legislator voluerit obligare, cum leges vim habeant ex ipsius legislatoris voluntate, volentis aut nolentis obligare.*

Non lubet nominatim & particulariter authoritates omnium, qui in hac parte à nobis stant, recensere; sed ut mensura sit plena & coagitata, turmatim adjicimus, quos suprà citat Caspensis. Reginaldum in praxi tom. 1. lib. 15. cap. 6. sect. 5. n. 50. Mirandam in Manuali tom. 2. q. 25. art. 18. Fillucium tom. 2. tract. 21. cap. 11. n. 420. Azorium 1. p. cap. 6. q. 4. Villalobos in summa tom. 1. tract. 2. dub. 22. Gomez in cap. 2. n. 7. de constit. in 6. & Joannem Andream in caput *relatum* de Ecclesiis non residentibus.

Nobis etiam non parum suffragantur, qui leges pœnales & mixtas, docent non obligare sub culpa, sed sub pœna tantùm, eò quod de voluntate legislatoris obligandi sub culpa non constet, & ad legis subsistentiam sufficiat obligatio sub pœna vel etiam in sola conscientia. Tales sunt.

Primò: Illustrissimus ac Reverendissimus M. Tapia Archiepiscopus Hispalensis in catena morali lib. 4. de legib. q. 10. art. 4. n. 1. & 2. *Itaque omnes hi (nempe Navarrus, Jasson, Gomez, Valentia & Azor) judicant probabile esse in praxi, non solùm leges purè pœnales, verùm etiam pœnales mixtas ex præcepto & pœna, quæ jubent hoc vel illud fieri, imponentes pœnam transgressoribus, non obligare ad culpam, sed ad solam pœnam, nisi certò constet, velle legislatorem obligare ad culpam.* Tum illorum rationibus subjunctis, sic concludit: *Propter tantorum Doctorum authoritatem, & tot rationum robur, hanc sententiam censet valde probabilem in praxi Villalobos, & ego etiam non possum non fateri, esse probabilem & in praxi securam.*

2. Matthæus de Moya in selectis quæstionibus tract. 6. disp. 4. q. 3. n. 33. de illa Navarri sententia dicit: *Contendo tamen hanc esse probabilem.* Et n. 26. citat Dianam docentem: *Dicendum est igitur, esse opinionem probabilem illam, quæ asserit, omnem legem pœnalem, sive puram, sive mixtam, non obligare in conscientia.*

3. Machado tom. 1. lib. 3. p. 4. tract. 3. documento 7. citans Covaruviam, Menchacam, Reginaldum & alios, sic dicit; *Navarro y otros muchos Theologos, y Juristas defienden absolutamente, que las leyes penales, como quiera que sean, en niunguna manera obligan en conciencia à peccado, si no solamente à la pena, que en ellas dispone el legislador, si no expressa contrario.*

4. Joannes Ferus, agens de Ecclesiæ præceptis, sic ait: *Christianus homo, etiam ab omni lege positiva humana, liber est, non quod eas pedibus conculcare possit, sed quod non ligant conscientiam.*

Multò amplius quàm nos docuere alii, qui omnem potestatem legislatori civili obligandi in conscientia denegarunt, quorum tamen nonnulli, etiam in Hispania, ubi viget & floret Sacra Inquisitio, scribentes, censuram evaserunt.

Primò;

Primò: Machado tom. 1. lib. 3. documento 6. fol. 544. sic scribit: *Gerson, Cayetano y otros defienden, que las leyes civiles non obligan por si à pecado, ni tienen fuerça en el fuero interior, si no es quando declaran alguna ley Divina: porque las leyes civiles, y humanas no pueden obligar à pecado, ni culpa en el fuero interior: ni parece possible, que el legislador humano tenga potestad para poner por pena de su ley à los transgressores della, la eterna del infierno.*

2. Philippus de la Cruz in practica de decimis §. 2. n. 5. fol. 41. *y aunque es verdad, que ay hombres doctos, que el euan. la opinion contraria, quierendo dar potencia al seglar paraque assi obligue; yo no assiento à ello.* Et infrà: *Las leyes de los Principes non obligan à culpa, y essa potestad hasta agora, no se la hadado la Iglesia, ni se ha visto, que quando hazendo las tales leyes, digan, mandamos esto pena de obediencia, o de pecado mortal &c.*

3. Gerson lib. de vita spirituali animæ lect. 4. corrol. 5. latè probat legem civilem non posse obligare sub culpa.

4. Tapia in jure Regni Neapolitani lib. 1. tit. de legibus §. *observentur* n. 8. quibus Moya suprà citatus addit Almainum de potestate Ecclesiastica q. 1. cap. 10. & refert illis favere Machado, dum referens eorum opinionem, eam non refutat.

5. Joannes Ferus ubi suprà: *Christianus adeò liber est, ut solius Dei servus sit, & nullus homo ejus conscientiam ligare possit, aut potestatem habeat supra conscientiam; nam super externum hominem potestatem habent Superiores.*

Etiam de lege Ecclesiastica, quosdam antiquiores citat Caramuel in suo Apologemate ep. 4. n. 273. ut Bernardum lib. de præcepto ad Carnotenses, Martinum Cromerum, quibus addendos dicit Richardum, Angelum, Gordonium, &c.

Attamen nec his, nec illis adstipulamur, non tantum potestatem illam legislatoribus humanis concedentes, sed etiam majorem, quam plerique Auctores illi concedunt, ut clariùs patebit ex sequenti §.

§. XIV.

Vindicatur 3. Propositio ratione.

Præmissis omnibus illis magni nominis & doctrinæ Theologorum & Juristarum authoritatibus, quas non videntur considerasse, vel potiùs non curasse Censores nostri, lubet doctrinam nostram, quam de legislativa potestate civili hactenus proposuimus & defendimus, toti mundo elucidè exponere.

Primò: potestatem legislativam in Superiores, non tantum Ecclesiasticos, sed & civiles, à legislativa potestate Divina, derivatam propugnamus.

2. Illam posse Subditos obligare in conscientia, sub pœna, & sub culpa tam mortali, quàm veniali.

3. Circa obligationem ad actus merè internos, ubi cæteri Theologi communiter

niter adhibent hanc distinctionem, quod possit indirectè similes actus præcipere vel prohibere, non autem directè; cùm ex una parte obscurum sit, quid sit indirectè præcipere, nec ab Authoribus conformiter explicetur; & ex altera parte actus illi per se non ordinentur ad politiam civilem externam, nihilque juvet illam ut rectricem posse illos indirectè præcipere; nos aliâ distinctione utimur, quâ clarè plus tribuimus potestati legislativæ civili, quàm cæteri, consideramus enim legislativam potestatem civilem, semel ut rectricem politiæ civilis, quæ in consensu & unione externorum consistit, & quatenus hanc dirigit & leges fert ad illius conservationem ordinatas, non posse actus merè internos præcipere sustinemus, in quo non magis censurandos nos existimamus, quàm eos, qui docent, quod directè non possit illos præcipere: & semel ut interpretatricem legis Divinæ aut naturalis, ex se quoad materiam vel modum, vel tempus indeterminatam, determinando ad talem materiam, modum, vel tempus, & quatenus sic procedit, non tantum concedimus, posse actus internos præcipere vel prohibere indirectè, sed etiam directè, quo illi concedimus, quod communiter negatur ab Authoribus.

4. Circa obligationem lege civili Subditis impositam, inhærentes datæ distinctioni, docemus, illam ut interpretatricem legis Divinæ aut naturalis, obligare proportionaliter ad obligationem legis, quam interpretatur, sic ut si hæc sub culpa gravi vel levi stringat conscientias, ita & illa, ut verò directricem politiæ civilis externæ, non obligare sub culpa (quod tamen potest,) nisi exprimat, fundamentum nostrum est.

Primum: quia cum legislatori ut rectori politiæ civilis externæ per se non competat, judicare de obligatione interna sub peccato mortali vel veniali, sed tantùm de externa, sub pœna temporali vel pecuniaria, præsumendum non est, illum velle sub culpa (quamvis possit) subditos obligare, quamdiu illud per legem non exprimit; cum enim sine hac expressione, maneat dubia & obscura intentio & voluntas Legislatoris, & juxtà regulam juris, in dubiis vel obscuris quod minimum est, sequamur, ubi non exprimit obligationem sub culpa, obligationem tantùm in conscientia admittimus, hoc enim *signum est* (inquit Miranda in Manuali Prælatorum tom. 2. q. 25. de legib. art. 14. conclus. 2.) *consuetudine ipsâ ipsas leges interpretante, quod per eas homines non obligentur ad culpam.*

Secundum: quia lex civilis, etiam in materia gravi, ubi accedit intentio legislatoris sub veniali obligandi, leviter & sub veniali tantùm obligat, ut est communis sententia, sæpe etiam à Doctoribus Lovaniensibus propugnata & stabilita, ut patet ex dictis suprà §. 12. ergò etiam lex civilis, quamvis in materia gravi, ubi accedit intentio legislatoris sub conscientia, vel sub pœna tantum obligat; de hac autem intentione prudenter præsumitur, quoties legislator suam intentionem obligandi sub culpa, potest exprimere, & non exprimit; signa enim, ex quibus nonnulli volunt haurire certitudinem obligationis sub culpa, à multis incerta & dubia habentur: sit enim imprimis materia lege præcepta vel prohibita gravis; cum hæc materia possit præcipi vel prohiberi leviter, vel sub pœna, vel in conscientia tantùm, nullam ex ea certitudinem

habere

habere possumus obligationis sub culpa prout ex ea certitudinem habere non possumus obligationis sub mortali culpa.

Scimus quidem, non ita pridem Lovanii nonnullos docuisse in Thesibus publicis, & disputationibus, legislatorem in materia gravi, necessariò graviter obligare, nec posse leviter; ast scimus etiam, eos, authoritate Pontificum, Regulas & Constitutiones PP. Dominicanorum, Societatis, & Carmelitarum approbantium ad tales angustias publicè redactos, ut illis, sine fundamento ullo, negandum fuerit, Regulas & Constitutiones illas, esse veras leges, vel affirmandum Pontifices, ut tales illas approbando, errasse.

Quin & moribus ipsis Lovanienses & cæteri apertè contradicunt: Lex est vel statutum Universitatis Lovaniensis, quâ, vel quo, præcipitur, ut compareant in lectione Statutorum singulis annis legendorum. Item in Sacro quater in anno pro electione vel continuatione Magnifici Domini Rectoris celebrando, quæ materia saltem est gravis, ut patet ex materia præcepti Ecclesiæ diebus Dominicis & Festis præcipientis auditionem Sacri; adsunt aliqui, communiter absunt plurimi, & quis est Doctorum, quis Theologorum, quis cæterorum, qui de absentia illa in Confessione se accusat. Possemus insuper Universitatis Lovaniensis, in qua diu habitavimus, plura proferre Statuta, & exempla prævaricationis eorundem, de quibus nunquam nobis facta est mentio in confessionibus à studiosis, vel aliis, licet sæpius confessiones eorum audiverimus.

Si Canonistæ essemus & Canones, aut etiam similes leges percurreremus, quàm multa, quoad vestes, venationem, lusum alearum, chartarum, taxillorum, aliaque plurima inveniremus, quorum omissio, vel transgressio non reputatur peccatum, ubi sæpè, etiam grave subesse deberet, si sola materiæ gravitas esset attendenda.

Sit deindè pœna transgressoribus statuta gravis, imò gravissima temporalis v. g. amissionis omnium bonorum, vitæ &c. neque ex hac habebimus certitudinem; cum plures, quos suprà citavimus, doceant, leges pœnales, etiam mixtas, non obligare sub culpa, refert enim Eximius Pater Marcus Serra in 1. 2. D. Thom. tom. 3. q. 96. art. 4. dub 2. ex Navarro; *Si quis tantâ cautione legem mortis pœnam statuentem violaret, ut in pœna hujusmodi probabile periculum non incurreret, nec etiam peccaret.*

Sint 3. verba præceptiva, inhibitiva, &c. nec ex his habebimus obligationis sub culpa certitudinem. Quia imprimis, ut notat Navarrus in Manuali cap. 23. n. 50. *Nullum verbum latinum suo significato ordinario, sufficienter exprimit legislatoris intentionem ad mortale obligantem*; addimus eodem fundamento, *sub culpa obligantem.*

Deinde, verba illa sunt indifferentia ad significandam obligationem, vel in sola conscientia, vel sub pœna, vel sub veniali, vel sub mortali, unde per aliquid ab illis distinctum determinari debent; illud autem distinctum debet esse tale, ut exterius de eo constet subditis, aliàs in mente subditorum obligatio maneret indeterminata & obscura, quo casu, quod minimum est, sequimur; si autem accedat intentionis expressio, jam de obligatione determinata constat.

Deni-

Denique, similia verba promiscuè reperiuntur in Constitutionibus nostræ Reformationis, à diversis Pontificibus approbatis, & tamen declarant p. 4. cap. 18. n. 5. se ad culpam nequaquam obligare.

Quæ autem authoritates ex S. Scriptura in contrarium allegari possunt, ut est illa præcipua & capitalis ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.... Itaque qui resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et infrà: *Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Satis commodè explicantur, de potestatibus sublimioribus, ut interpretantibus legem Divinam aut naturalem; cum enim pleræque Romanorum leges, ad quos scribit, & adhortatur Apostolus, essent legis Divinæ, aut naturalis interpretationes; cavebant enim contra crimina, agebant de contractibus, & omnibus ejus speciebus, de testamentis, judiciis & similibus, rectè eos adhortatur ad subjectionem & obedientiam; certum enim nobis est, potestates sublimiores ut tales, sub culpa obligare, & refractarios ac inobedientes sibi damnationem acquirere.

Accedit, quod sicut, juxtà sententiam communissimam, admittentem leges purè pœnales, vel etiam mixtas non obligare in conscientia sub culpa, illæ authoritates Apostoli non extendantur ad illas leges, ita etiam sine temeritate dici posset, illas non extendi ad leges civiles ut politiæ civilis externæ directrices.

Nec dicant, potestatem legislativam civilem, etiam ut rectricem, esse potestatis legislativæ Divinæ participationem, ac proindè, sicut transgresio, seu inobedientia hujus est culpa, ità & illius. Quia etsi potestas legislativa civilis ut rectrix sit potestatis legislativæ Divinæ participatio, sicut illa participata potestas talis est, ut legislator illa non necessariò utatur, sed in libertate ipsius sit, illa uti vel non uti, uti in tali materia, vel tali, ita in libertate ipsius est uti ea, obligando subditos sub culpa, vel sub pœna, vel in sola conscientia; non enim obligationis quantitas à voluntate legislatoris minus dependet, ut sit tanta, vel tanta, quàm usus potestatis legislativæ ut sit, vel non sit in tali, vel tali materia.

Aliundè argumentum nimium probat; probat enim non posse dari leges purè pœnales, contra communem Theologorum, probat etiam, legem civilem in materia gravi non posse constringere leviter, quod tamen, post plurimos, Doctores Lovanienses suprà citati, sustinuerunt.



§ XV.

Vindicatur 4. *Propositio authoritate Sacræ Theologiæ Professorum.*

ILla est hæc contenta assertione 18. P. Marci: *Impiis adultis fides actualis Dei ut incarnati, passi &c. non est necessaria necessitate medii.*

Hîc notandum monemus, nos per fidem actualem intelligere formalem & expressam objecti ut in se est attingentiam, quæ est explicita objecti sui repræsentatio, sicut propositio illa intelligenda sit de fide actuali formali & explicita Dei incarnati, passi &c. Hæc autem tradita est & defensa à Doctoribus Lovaniensibus in publicis Scholis.

Primò: Lovanii 1647. 1. Martii sub [L] id est, ut putamus Eximio Domino Laurentio: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit: ex his deducunt aliqui, etiam graves Theologi, non esse necesse necessitate medii, credere explicitè mysterium SS. Trinitatis, aut Filii Dei incarnationem, quod etiam nos conabimur defendere, estque ex mente D. Thomæ.*

2. Lovanii 1666. 20. Januarii sub Eximio Domino Viane: *Sed quæ fides est necessaria necessitate medii? fides explicita Dei ut justificatoris, & remuneratoris. An etiam fides explicita Christi Mediatoris, saltem post Evangelium promulgatum? non putamus hoc certum.* An nostri Censores ab illo tempore fortè Divinam acceperunt revelationem?

Tradiderunt & illam alii plures in Thesibus publicè defensis, tum Lovanii, tum alibi.

Primò: Lovanii 1655. 14. Aprilis sub P. Francisco Bonæ Spei: *Fides autem Dei explicita, adultis nondum gratia donatis, necessitate medii necessaria est: non verò aliis: aut Dei, ut remuneratoris, Christi incarnati, passi, &c. sive post, sive ante promulgatum Evangelium, sed præcepti.*

2. Lovanii 1657. 3. Julii sub P. Jacobo van Calloen: *Omni tempore ad justificationem adulti, non tantùm moraliter, sed absolutè & physicè, necessaria necessitate medii, fides strictè dicta explicita Dei ut existentis, uti & alicujus saltem mediatoris; nullius autem alterius mysterii.*

3. Lovanii 1665. 21 Julii sub P. Maximiliano Ledent: *Adulto ad justificationem necessaria est necessitate medii fides in Deum, non tamen explicitè ut remuneratorem extrinsecum, aut mediatorem.*

4. Lovanii 1666. 21. Julii sub eodem: *Fides de Deo ut remuneratore extrinseco, aut de Christo mediatore, non videtur necessitate medii necessaria.*

5. Lovanii 1666. 21. Junii sub Patre Ægidio Estrix: *Non videtur fides de Deo ut remuneratore extrinseco, nedum de Christo ut mediatore necessaria necessitate medii.*

6. Lovanii 1666. 27. Augusti sub P. Jacobo à S. Antonio: *Adulto impio necessitate medii necessaria est fides actualis, eaque explicita Dei existentis: secus justificato: uti nec Dei, ut remuneratoris explicita*

plicita fides in re, & absolutè SS. Trinitatis, Incarnationis, Passionis &c. Christi, sive ante, sive post promulgatum Evangelium: secus implicita, & necessitate praecepti.

7. Lovanii 1667. 26. Julii sub Patre Estrix: *Non putamus necessariam necessitate medii, fidem explicitam de Deo remuneratore; sic nec absolutè necessaria est fides de Christo objectivè; hac tamen, uti & aliorum, necessaria est ex pracepto.*

8. Lovanii eodem anno 23. Novembris sub eodem: *Notitia Dei necessaria est necessitate medii, homini adulto, ut ex peccatore fiat justus: si censeas perinde necessariam esse notitiam Dei remuneratoris? etiam hoc censebis, non quovis Dei amore perfecto peccatorem fieri justum: facilè assentiar plerosque peccatores ordinariis gratiae auxiliis adjutos, non posse moraliter eo assurgere sine illa notitia; fortasse & quosdam simpliciter non posse: at neminem omninò posse, haud facilè probabis: summam necessitatem fidei de mediatore plura suadent: fortasse haud suadent satis: si id putes voluisse Augustinum, neque hinc posse negari, dic etiam summè necessariam esse, & fuisse quovis tempore, fidem mediatoris Christi, fidem sanguinis ejus, fidem Crucis ejus, fidem mortis ejus, & resurrectionis ejus. Non sunt haec dictu facilia.*

9. Lovanii 1668. sub eodem: *Ad justificationem adulti necessaria est necessitate medii notitia Dei: sed non explicitè, ut remuneratoris, aut mediatoris.*

10. Lovanii 1668. 24. Julii sub P. Antonio à Burgundia: *Notitia Dei, necessitate medii necessaria est, ut peccator adultus ratione utens, acquirat justitiam: non perindè videtur necessaria notitia remuneratoris, vindicis aut mediatoris.*

11. Lovanii 1669. 29. Julii sub. Patre Estrix: *Homini adulto & rationis compoti ad justificationem est absolutè necessaria Dei notitia: putamus non esse perindè necessaria scitu haec omnia, Incarnationem, crucem &c.*

12. Lovanii 1669. 5. Junii sub P. Petro de Vriese: *Est insuper adultis, nondum justificatis, necessitate medii necessaria fides actualis supernaturalis explicita, & strictè dicta, in Divina revelatione fundata. Sed cujus objecti? certè mirum, quod in re tanta sit tam incerta doctrina. Nos arbitramur aliam non esse necessariam fidem ad salutem quàm ad justificationem. Posset itaque salvari, qui fide Divinâ solum nosceret Deum ut summum bonum, ut summè diligendum.*

13. Lovanii 1669. 10. Septembris sub P. Guilelmo van Sichem: *Necessaria necessitate praecepti est fides mediatoris implicita saltem in veteri Testamento; explicita verò in novo: quantum ad necessitatem medii, apparet posse interdum sufficere fidem de objecto contritionis.*

14. Lovanii 1670. 15. Julii sub P. A. à Burgundia: *Notitia Dei necessaria est necessitate medii, ut adultus de peccatore fiat justus: non perinde ab omnibus necessaria judicatur, notitia explicita Dei remuneratoris aut mediatoris.*

15. Lovanii 1674. 23. Febr sub P. Bonaventura Keon: *Omni puro homini pro quolibet statu semper de potentia ordinaria necessaria fuit necessitate medii, fides habitualis infusa; cuilibet autem peccatori adulto & rationis compoti, fides actualis in Deum sub aliquo conceptu ipsi proprio; imò regulariter seu ordinariè fides Dei remuneratoris: à primo parentis lapsu fides explicita mediatoris Dei & hominum; non tamen sub conceptu explicito Dei & hominis, qui suâ morte, & passione genus huma-*

humanum esset redempturus, aut fides SS. Trinitatis sub actuali conceptu trium personarum in una essentia, nisi post promulgatum Evangelium, nec tum ita absolute, quin sine ea in aliquo casu, possit quis ad actualem fidem obligatus, salutem consequi.

16. Lovanii 1675. 26. Novembris sub P. Joanne Pollenter: *Porrò quibus de rebus est, & fuit semper fides explicita necessitate medii necessaria? opinamur de Deo ut remuneratore.*

17. Lovanii 1666. 28. Aprilis sub Eximio P. Faruacquez: *Sitne necessaria necessitate medii, explicita fides Incarnationis & SS. Trinitatis, à Theologis controvertitur.*

18. Lovanii 1676. 15. Julii sub P. Reynero Payez: *Complectitur arcanum SS. Trinitatis Sacramentum, eandem in tribus personis naturam subsistentem, cujus explicita fides, quamvis tempore legis naturæ & scriptæ nequaquàm exigeretur; tum tamen non defuisse piè credimus: at Evangelio sufficienter promulgato per orbem, necessaria est omnibus ad salutem necessitate præcepti. An & medii? & quidem in omni casu: non negativam probabilem reputamus.*

19. Antverpiæ 1649. 13. sub Amplissimo Domino Macario Simeomo: *Multorum est sententia, fidem explicitam SS. Trinitatis & Incarnationis esse necessariam necessitate medii: nullo tamen fundamento videtur efficaciter suaderi, quin imò pro opposita parte graves rationes suppetunt.*

20. Antverpiæ 1658. 14. Maii sub P. Ildephonso à S. Philippo: *Fides actualis supernaturalis expreessa Dei, ut existentis; non verò ut remuneratoris, adultus in gratia non existentibus, est necessaria ad salutem necessitate medii*: in fine: *hinc sola implicita SS. Trinitatis, Incarnationis, Passionis &c. sufficit ad salutem.*

21. Antverpiæ sine data anni 9. Aprilis sub P. Richardo Arsdekin: *Fides explicita providentiæ Divinæ circa actiones humanas in adultis necessaria est ad justificationem necessitate medii; idem dic de remuneratore*, &c. *Id tamen negamus de fide explicita Mediatoris, tam quoad statum legis antiquæ, quàm legis novæ.*

22. Straubingæ 1660. in Julio sub P. Damasceno à S. Elizabetha: *Necessitate medii absolutè necessaria non est ad salutem adultorum gratia carentium fides explicita ut remuneratoris, vel ut incarnati.*

23. Coloniæ 1671. 18. Augusti sub P. Ambrosio à S. Godefrido: *Necessarius est semperque fuit necessitate medii ad salutem actus ejusmodi fidei explicitus omni adulto circa Deum ut existentem & remuneratorem; at nonnisi implicitus circa Verbi incarnationem, ante Evangelii sufficientem promulgationem: utrum autem post ejusmodi sufficerit, esto problema.*

24. Duaci 1672. 9. Julii sub P. Georgio à S. Martino: *Fides tamen explicita Incarnationis, uti & SS. Trinitatis, neque ante, neque post Evangelii promulgationem, ad salutem necessaria fuit necessitate medii.*

25. Bruxellis 1672. 17. Maii sub Patre Ferdinando à Sancto Carolo Borromæo: *Respectu adultorum in gratia nondum existentium, absolutè necessariam credimus, fidem actualem supernaturalem, saltem existentiæ unius Dei.*

Sufficiant hi patriæ nostræ ex maxima parte, pro justificatione hujus nostræ Propositionis, Sacræ Theologiæ Profes-

Professores; si Colonienses, si Duacenos, si aliarum Universitatum omnes adglobare non tæderet, facilè dare possemus librum integrum, nil nisi Cathalogum continentem, at labori nostro, & molestiæ Lectoris parcentes, pergimus.

§. XVI.

Demus & Cathalogum Auctorum, qui hanc Propositionem nostram sine ulla scandali suspicione docuerunt.

PRimò P. Angelus de Clavasio verbo *Filius* n. 7. *Imò ab ignorantia talium (nempe Nativitatis, Passionis &c.) nullus excusatur utens ratione; quia non potest esse sine negligentia & contemptu: nisi secundum R. ubi 8. illi, quibus Christus, nec per se, nec per alium, nec per inspirationem interiorem locutus est, quia tales non tenentur credere explicitè, nisi id quod credebatur in lege naturæ. Tenet etiam Alexander de Ales secunda secundæ, titulo de perplexitate conscientiæ, quod puer in carcere Saracenorum inclusus ab infantia, secundum Augustinum de quæstionibus novi & veteris Testamenti, si non fuerit à quo didicerit, nec ad eum rumor doctrinæ fidei pervenerit, immunis erit.*

2. Dominicus Soto in 4. dist. 5. q. unica art. 2. fol. 142. *At quoniam ejusmodi ignorantiam (scilicet invincibilem Mediatoris) negare, esset præter omnium opinionem, concludimus, salvâ censurâ doctius judicantium, quod qui ignorantia invincibili Evangelii laborant, sine fide explicita per solam implicitam, quemadmodum gratiam, ita & gloriam obtinere possint.*

3. P. Suarez de fide disp. 12. sect. 4. n. 11. *Dico ergò 1. non esse tam necessariam hôc tempore, fidem explicitam Christi, ut sine illa in re ipsa obtenta, nullus possit justificari.*

4. Jacobus Marchantius Candel. myst. tract. 5. cap. 2. q. 7. ubi quærit: *An non sint repetendæ confessiones priores ab illis ignorantibus mysteria Trinitatis & Incarnationis?* Et respondet: *Videri hoc sequi.* Subdit tamen in favorem nostræ sententiæ. *Quia tamen non improbabilis est sententia, dicens sufficere implicitam fidem, ideo non sunt ad hoc condemnandi, cum crediderunt, Deum esse nostræ salutis Auctorem, ac nos redemisse, quæ fides implicitè continet mysteria credenda nostræ salutis.*

5. Joannes Ægidius Trullench. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 2. n. 10. *Nihilominus tamen pium & probabile existimo, cum Bartholomæo Medina in suo instructorio in explicatione primi præcepti fol. 61. posse in duobus casibus salvari in fide implicita. Primus est, si quis in sylvis educatus, moraliter bene viveret: secundus si fidelis inter infideles commorans, suâ negligentia symbolum ignorat, & jam moritur, & non suppetit tempus illum docendi, poterit absolvi à Confessario, & salvabitur in fide implicita.*

6. Ferdinandus de Castro-Palao p. 1. de virtutibus & vitiis tract. 4. de fide disp. 1. p. 9. n. 7. *Quapropter probabilius censeo, etiam factâ promulgatione Evangelii, non esse necessariam notitiam explicitam Trinitatis aut mysterii Incarnationis,*

nis, necessitate medii, sed solum præcepti, atque adeò contingere alicui posset salus, quin explicitè cognosceret Filium Dei incarnatum fuisse, & pro nobis passum esse. Hanc Conclusionem indicat satis D. Thomas 2.2.q.2.art.7.ad 3.

7. Andreas Vega Magister Salmanticensis in Trid. lib. 6. de præparatione adultorum ad justificationem cap. 17. credit esse probabilissimum. 1. *haberi posse fidei Christi ignorantiam invincibilem. 2. Fidem explicitam Christi in præcepto esse omnibus, sed justificari etiamnum adultos, imò & salvari citra illam.*

8. P. Leander de SS. Sacramento p. 1. tract. de fide disp. 2. q. 13. *Fides expressa seu explicita Christi, seu ejus incarnationis, non est omnino & simpliciter necessaria necessitate medii, adhuc post Evangelium promulgatum, ad obtinendam gratiam & gloriam.*

9. P. Diana in Summa p. 1. verbo *fides* n. 4. *S. Trinitatis & Incarnationis fidem, Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 2. conclus. 6. & Doctores communiter tenent, debere esse explicitam in adultis: sed contrariam sententiam Soti in 4. dist. 5. q. unic. tract. 2. puto etiam probabilem cum Marchantio Candel. myst. qq. pastoral. tract. 5. cap. 2. q. 7.* Rationem dat: *Nam Deus non plus requirit ab hominibus, quam ipsi possint; sunt autem inter Christianos adeò rudes, ut hujusmodi mysteria non apprehendant, quod plerumque evenit in surdis & mutis.*

10. P. Petrus Marchantius tom. 1. tribun. Sacram. tract. 5. tit. 2. q. 6. ad dubium incidentale. *An modo, Evangelio per universum Orbem sufficienter promulgato, possit dari ignorantia invincibilis mediorum omnibus ad salutem necessariorum?* Respondet: *Etiam promulgato Evangelio, ut modo, per universum Orbem, posse dari in aliquibus locis, & singularibus personis, ignorantiã invincibilem, seu inculpabilem necessariorum mediorum ex lege positiva ad salutem: Ex hac autem responsione, duas sequentes ponit Propositiones: 3. soli illi quibus Christus sufficienter & explicitè anunciatus est, promulgatum est Evangelium, obligantur ad explicitam fidem in Christum & Evangelium. 4. Sola fides implicita Christi, & scientia generalis necessariorum ad salutem sufficit in illis, ad quos explicita manifestatio fidei, & Evangelii prædicatio non pervenit.*

11. P. Joannes Bapt. de Lezana tom. 3. Th. de fide tract. 1. disp. 3. q. 6. concl. 5. de expressa licentia Magistri Sacri & Apostolici Palatii Romæ impresso: *Dico 5. habentibus tamen ignorantiam invincibilem Incarnationis Christi, etiam hoc tempore, post promulgationem Evangelii, non est necessaria necessitate medii fides explicita Christi, sed sufficit implicita.*

Adde, quæ ibidem habet in relatione sententiæ tertiæ: *Tertia sententia dicit, tam ad justificationem, quàm ad vitam æternam, sufficere fidem implicitam Christi, etiam hoc tempore. Ita Michael de Medina, Vega, Zumel, Suarez, Turrianus, Hurtadus, Domin, Lugo, Serra, & tenuit Ludovicus Montesinus Magister meus, & credo probabiliorem, intellectam tamen cum aliqua limitatione, scilicet respectu eorum, qui hoc tempore habent ignorantiam invincibilem Christi,* quæ tamen limitatio videtur superflua, cum etiam inculpabiliter omissa non possit obtineri salus, si sit necessitate medii necessaria.

12. Etiam Eximius Dominus Sylvius, si apertè à nobis non stet, plurimum nobis favet *2.2.q.2.art. 8. concl. 8.* dum

dum docet: *Si quis adeò sit hebes, ut hujusmodi mysteria retinere non possit, excusabitur à præcepto, etsi credat, quomodo potest, ea quæ diximus necessaria necessitate medii salvus esse poterit.* Ergò sine fide eorum explicita potest obtineri salus.

13. Illustrissimus P. Herinx tom. 3. de fide disp. 7. q. 5. n. 49. de fide explicita Incarnationis & Trinitatis sic scribit: *An verò sint ita scitu necessaria necessitate medii, ut si quis invincibiliter ea, aut eorum aliqua ignoret, instructus tamen fide sufficienti, ad inquirendum Deum pro venia peccatorum, non possit justitiam consequi, est dubium. Fieri enim posset, ut quamvis constet notitiam prædictam non esse necessariam ex natura rei ad contritionem & dilectionem perfectam, Deus tamen nolit alias dare gratiam pœnitendi aut diligendi, sed quia hoc durum videtur, & sine urgenti fundamento (quod difficulter assignatur) non debet restringi gratia Dei, aut ampliari necessitas, tam peremptoria præsertim, sciendi scilicet tot puncta, non sine verisimilitudine, docent noster Medina, Suarez, Turrianus, Lugo disp. 12. sect. 4. n. 91. & plures alii, posse per accidens, in casu raro justificari, inculpabiliter ignarum prædictorum mysteriorum; maximè cum contingere queat, ob penuriam temporis, non posse instructionem de omnibus adhiberi periclitanti v. g. de vita; cui tamen propositâ æternitate instante, Deoque optimo per pœnitentiam sibi reconciliando, non sit credendum denegari gratiam pœnitendi. Accedit, quod nonnulli adeò rudes sint, ut videantur incapaces percipiendi mysterium Incarnationis, & maximè Trinitatis, de quibus saltem non dubito, quin possint, iis non cognitis justificari per fidem eorum implicitam; cum tales eatenus sint redigendi ad ordinem carentium usu rationis.*

14. P. Paulus Layman. de fide tract. 1. cap. 8. n. 4. relatâ sententiâ nostræ oppositâ, de nostra sic subdit: *Contraria tamen sententia, quod explicita fides de SS. Trinitate, & Incarnatione Christi, neque post factam Evangelii promulgationem necessaria sit necessitate medii, seu ad veram justitiam, seu ad gloriam æternam consequendam, non minus probabilis est, & facilè defendi posse videtur.*

15. P. Franciscus Bonæ Spei tom. 3. disp. 7. de fide dub. 1. resol. 3. *Dico 3. fides explicita Incarnationis, Passionis &c. Christi, neque ante, neque post Evangelium promulgatum, fuit respectu adultorum &c. ad salutem necessitate medii necessaria.*

16. P. Stephanus à S. Paulo tract. 3. de fide disp. 1. dub. 3. §. 1. n. 18. *Dico 4. non est omninò improbabilis opinio, negans ullum mysterium, esse necessariò necessitate medii credendum ab adultis præter existentiam Dei. Ita enim sustinent Azorius, Tannerus, Sylvius, Palavicinus, quos citat & sequitur Burghaber Centuria 1. casu 61. nec non & alii plures probati Auctores, huic maximè nixi fundamento, quod perfecta Dei charitas, & peccatorum contritio haberi possint, absque ulla alia fide explicita superaddita; charitas verò perfecta & peccatorum contritio sunt proximæ dispositiones ad justificationem, quibus positis infallibiliter sequitur justificatio.*

17. P. Raphaël Aversa de fide sect. 6. *Non apparet hanc explicitam notitiam, nempè Incarnationis, esse medium, ità necessarium ad justificationem, ut qui nihil de his Christi mysteriis audierint, qui absq; sua culpa ea assecuti non sint, nequeant prorsus justificari, & nec notitia Dei re-*

 mune-

muneratoris, atque implicita fides Christi, ei sufficiat; non enim ostenditur satis talis ac tanta necessitas.

18. P. Augustinus à Virgine Maria de fide disp. 16. resol. 6. *Dico 6. prater jam prafatam* (fidem nempè in re & explicita Dei ut entis supernaturalis) *nulla fides alia in re & explicita, est medium ad salutem necessarium ex natura rei.* Ubi citat Gamacheum.

19. P. Marcus Serra q. 2. de fide art. 7. *Dicendum est 2. etiam nunc post Christi adventum & sufficientem publicatienem Evangelii, posse aliquos salvari, & tàm primam, quam secundam salutem consequi absque fide Christi explicita.*

20. P. Christophorus Haunoldus lib. 3. tract. 1. cap. 8. controv. 4. *Dico 2. non est in re necessaria fides explicita Trinitatis necessitate medii. Dico 4. fides explicita Christi, nec ante, nec post adventum, est in re necessaria.*

21. P. Comptonus in 2.2. disp. 15. sect. 4. *Quamvis salvari quis modò possit sine fide explicita Christi in re obtenta, semper tamen &c. Assertionem quoad primam partem probat his verbis: Jam enim potest quis habere supernaturalem & explicitam fidem Dei, absque eo, quod habeat fidem explicitam Christi, sicut habuerunt in lege natura & scripta; alioqui pejori loco nunc essent homines, quàm ante Christi adventum, cùm tamen secundùm omnes, via ad salutem, modò longè facilior sit, quàm vel in lege natura fuit, vel etiam sub veteri Testamento; jam verò ex hac fide supernaturali explicita Dei, potest homo ille se ad Deum convertere, eumque actu amoris supernaturalis diligere, quod si praestet, certissimè justificabitur, cum actum charitatis, seu amoris Dei super omnia supernaturalem, semper sequatur justificatio.*

22. P. Jacobus Platel p. 2. cap. 5. §. 4. n. 228. *Quamvis sit probabile, quod docent Valentia, &c. fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis necessariam esse necessitate medii post Evangelium sufficienter promulgatum, &c. probabilius est tamen fidem explicitam istorum mysteriorum, non esse medium necessarium in re, sed solùm in re, vel in voto, contentā in fide Dei remuneratoris supernaturalis.*

23. P. Antonius à S. Spiritu in directorio Confessariorum de fide tract. 1. sect. 3. *Aliquando fides explicita Incarnationis, Trinitatis, &c. non est adultis necessarium medium ad salutem; sed sufficit adultis ex necessitate medii, cum Baptismo credere quod credit Ecclesia.* Subdit autem: *non enim audeo majorem obligationem ponere hominibus, ne dicam infinitam Christianorum multitudinem condemnari, qui de mysterio Trinitatis & Incarnationis vix quidquam certè norunt, imò perversè sentiunt, si interroges.*

24. P. Joannes de Alloza in Alphabetho morali, verbo *fides*: *Post sufficientem Evangelii promulgationem, regulariter loquendo, est necessaria necessitate medii fides explicita Incarnationis & Trinitatis. In aliquo casu potest quis sine fide explicita justificari, v. g. si habens ignorantiam invincibilem rerum fidei, doleat de peccatis super omnia cum spe veniæ, & firmo iterum non peccandi proposito.*

25. Antonius Contonius controv. 6. cap. 1. n. 10. Nostram resolutionem probat hôc modò: *Quia ex una parte omnia testimonia S. Scriptura, & pracipua Patrum effata commodè explicantur, vel de fide implicita, vel de necessitate precepti post sufficientem Evangelii promulgationem: Ex alia verò, non solùm rustic*

rustici inter Catholicos videntur carere hac fide explicitâ, sed etiam liberalius de Divinâ bonitate videmur sentire, si dicamus etiam in illis sectis, quæ ita per veram traditionem cognoscunt verum Deum, ut tamen Incarnationem & Trinitatem ignorent, pueros & idiotas excusari per ignorantiam invincibilem à fide talium articulorum, adeòque per fidem veri Dei justificari & salvari, ut contingebat in lege naturæ & Mosaica.

26. P. Joannes de Soria in Epilogo Summarum 2. p. tract. 1. sect. 5. disp. 3. de fide : *Post sufficientem promulgationem Evangelii, necessaria est fides explicita, saltem Incarnationis Divini Verbi, & mysterii Trinitatis: Dabilis est casus, scilicet si daretur homo nutritus in sylvis, ubi posset salvari tantùm cum fide implicita.*

27. P. Nicolaus Baldellus de fide lib. 1. disp. 5. n. 15. *Non videtur posse negari, quod si quis post Evangelium promulgatum ignoret invincibiliter Trinitatem, & Christum, & supernaturaliter credat, Deum esse datorem salutis, & à peccatis liberatorem, non possit in illum perfectè converti, concipiendo de peccatis dolorem & pœnitentiam, & spem remissionis, Deumque perfectè amando, & super omnia, & per consequens quod non possit justificari sine fide explicita Trinitatis & Christi, si alioqui habeat votum & voluntatem credendi omnia, quæ sunt necessaria, & eo modo, quo sunt necessaria, & de facto sit crediturus explicitè etiam Christum & Trinitatem, quando habebit illorum explicatorem & Doctorem.*

28. P. Honoratus Fabri Summulæ Theologicæ tract. 5. de fide cap. 2. n. 13. *Hinc nec ante, nec post Christi adventum necessaria fuit necessitate medii fides explicita de Christo, nec etiam de Trinitate.*

29. P.M. Joannes Martinez de Prado S. Inquisitionis ex munere Qualificator in Theol. morali cap. 7. de fide q. 4. §. 3. n. 14. *Dico 1. Dantur plures casus, in quibus aliqui justificantur, adhuc post Evangelii promulgationem sine fide Christi explicita.* Probat hâc ratione: *Quia non minus ex Sacra Scriptura & Conciliis habetur necessitas Baptismi, ac habeatur necessitas fidei, ut patet ex illo Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei: sed etiam hôc tempore aliqui salutem consequuntur sine actuali susceptione Baptismi, solo voto illius: ergò per fidem Christi implicitam, etiam nunc in aliquibus casibus, possunt aliqui justificari.*

30. P. Vincentius Baronius 2. p. Theologiæ moralis de fide disp. 3. sect. 1. art. 3. §. 2. ubi docet fidem explicitam Incarnationis posse suppleri fide explicita Dei ut existentis & remuneratoris, tanquam voto illius, hancque sufficere ad salutem, verba ejus sunt: *Sed si fides explicita articulorũ, quos designat Apostolus, cum ait: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est (seu existit ut Author naturæ & gratiæ) atque ut remunerator est, cum altera de Deo Trino & Verbo Incarnato conferatur, hoc differunt, aut potius conveniunt; quod sicuti hæc posterior priore, quasi voto; ita etiam illa possit posteriori contingi, & qualibet sufficiat ad salutem, ut est votum alterius.*

31. Dominicus Bannez 2.2. q. 2. art. 8. §. *Quæritur denique* conclus. 4. *Non est hæresis, nec temerarium aut scandalosum asserere, quod possit aliquis modò assequi vitam æternam sine fide explicita Christi &c.*

32. M. Bartholomæus de Medina Instruct. Confessar. lib. 1. cap. 14. §. 2.

 Al-

Algunos dizen, que para que uno se justifique, y se salve, es necessaria se explicita de los mysterios de nuestra redencion, y que si no la tiene, no se salvara; mas este es vn rigor muy grande, porque el, que ha estado en parte donde non ha podido tenerla, non se podra salvar. La verdadera opinion es, que sea de pracepto Divino &c. mas en algunos casos se podra el hombre con la fe implicita sola.

33. M. Joannes de la Cruz in directorio 1. p. præcepto 1. art. 1 n. 4. *Quartò sequitur, quod licet detur ignorantia invincibilis articulorum fidei in his, quæ nec docentur in Ecclesia à Parochis, nec domi à parentibus, etsi isti morerentur, tunc salvarentur cum fide mysteriorum primæ conclusionis.* Primâ autem conclusione sic habet: *Prima* conclusio, *quæ sint adultis in omni statu credenda explicitè & distinctè, declaratur statim dum subditur: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.*

34. M. Bartholomæus de Ledesma in Summario de Sacramento pœnitentiæ difficult. 2. de confessione: *Cum ad primam justificationem fides explicita Christi non requiratur, ut supponimus tanquam magis probabile, & commune in Scholis, consequitur ut nec votum explicitum confessionis requiratur.*

§. XVII.

Vindicatur 4. Propositio ratione.

RAtionem fundamentalē hujus nostræ Propositionis sic exhibemus juxta Eximium D. Wiggers de fide q. 2. art. 5. *Necessarium necessitate medii est illud, sine quo salus obtineri simpliciter non potest, quacumq; ex causa illud abesse contingat; sive, ut communiter Theologi, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, non potest obtineri salus.* Atqui sine fide actuali explicita Incarnationis, passionis, &c. Potest homo adultus impius consequi justificationē & consequenter salutem; ergò impiis adultis fides actualis explicita Incarnationis &c. non est necessaria necessitate medii: Probatur minor, in qua sola potest esse difficultas. Ponamus Atheum, aut etiam Fidelem ignorantem inculpabiliter, vel inflicto vulnere, vel morbo urgente & increscente, ad extrema vitæ instantia devolutum, in angustia illa temporis & morbi, à Catholico instructore Dei ut summè & infinitè boni existentiam edoceri, nec ulterioris instructionis tempus superesse; erumpat intereà ille Atheus, vel Fidelis ignorans inculpabiliter, conceptâ fide supernaturali ex instructione data, in illius Dei propter se intensissimum amorem cum peccatorum detestatione; quod fieri posse evidens est, cum nihil ex parte objecti, sive materialis, sive formalis istius amoris desit: jam quærimus an talis, illo intensissimo charitatis Dei propter se actu, justificandus & salvandus sit? si sic? ergò evidens est impiis adultis fidem explicitam Incarnationis &c. non esse necessitate medii necessariam, cùm ab illo salus obtineatur, & si ex aliqua causa abesse contin-

contingat. Si non? imprimis resuscitatur doctrina Baii à Pontificibus damnata, quod charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non fictâ, possit esse sine remissione peccatorum. Deinde, impingitur in Tridentinum sess. 14. cap. 4. *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur.* Denique evertitur doctrina Adversariorum, qui amorem Dei propter se castum, saltem intensissimum sine Sacramento justificantem admittunt. Ergò &c.

Nec dici potest, hominem illum, ex Divina ordinatione, non posse pertingere ad ultimas illas dispositiones supernaturales, sine fide explicita Incarnationis &c. Quia primò juxtà P. Lezanam tract. 1. de fide disp. 3. q. 6. prorsus voluntarium est dicere, talem esse Dei ordinationem, ut non possit quis illos actus proximè disponentes ad justificationem habere, sine fide actuali explicita Christi, maximè loquendo in causa ignorantiæ invincibilis, imò oppositum esse magis conforme Divinæ bonitati, quâ vult omnes salvos fieri.

2. Quia illa Divina ordinatio efficere deberet, ut etiam in lege gratiæ homini inculpabiliter deesset gratia, quæ in antiqua lege omnibus erat generaliter concessa, quâ possent talē actum elicere sine explicita illa fide Incarnationis; quod cum fundamento non dicitur, cùm modò sit lex gratiæ, in quâ plus abundat; imò ut loquitur Illustrissimus P. Herincx disp. 7. de fide q. 5. n. 49. *Hoc durum videtur, & sine valde urgenti fundamento (quod difficulter assignatur) non debet restringi gratia Dei, aut ampliari necessitas tàm peremptoria præsertim sciendi explicitè tot puncta.*

3. Quia nullum est fundamentum, quo illa Dei ordinatio extendatur ab Adversariis ad mysteria Incarnationis, Passionis &c. & non generaliter ad omnia, quæ Symbolo Apostolico, Niceno, & Athanasii continentur; imò & omnia, quæ in Ecclesia solemnizantur; cùm enim se in authoritatibus SS. PP. Augustini & Thomæ (uti perpetuò prætexunt) fundent, quorum primus necessitatem fidei extendit ad omne tempus, ad fidem mediatoris Christi, sanguinis Christi, Crucis, mortis, & Resurrectionis ejus; secundus verò, etiam ad omnia mysteria, quæ in Ecclesia solemnizantur, sequeretur quod nullus unquam sine explicita omnium illorum fide potuisset justificari, aut salvari, quod esset contra omnium Theologorum doctrinam, & quoslibet, etiam ignorantes & rudes, sub æternæ damnationis anathemate, obligare ad fidem explicitam Nativitatis Christi, adorationis Regum, Circumcisionis, Baptismi, jejunii, captivitatis, totius passionis, crucis, mortis, sepulturæ, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritûs Sancti, Transfigurationis, Institutionis SS. Sacramenti &c. quæ dictu facilora sunt, quàm probatu.



§. XVIII.

Solvuntur Objectiones.

IMprimis S. Scripturæ authoritates contra nostram propositionem opponendas, sic generaliter explicat, & solvit P. Iræneus à S. Jacobo de fide cap. 2. sect. 1. §. 11. primò: quod non loquantur de necessitate medii. 2. Quod agant de fide Christi, non ut objecti, sed ut causæ meritoriæ, id est, de fide per Christum, seu Christi meritis habenda, etiamsi explicitè non feratur in ipsum Christum, ut explicitè creditum. 3. Quod aliquæ earum commendent dumtaxat efficaciam fidei explicitè in Christum, de absoluta autem ejus necessitate nihil pronuncient.

Ubi etiam de authoritate D. Thom. 2.2. q. 2. art. 7. dicit, illum quidem ibi docere tale mysterium esse credendum de necessitate salutis, sed non declarare an intelligat necessitatem medii, aut præcepti: cui consentit Meratius dicens: *De quo* (nempè D. Thoma) *certum non est, utrum de necessitate medii loquatur, an præcepti solùm.* Et P. Koninck disp. 14. de fide dub. 9. n. 138. *Loquitur de necessitate præcepti; nam in responsione ad 3. expressè docet, in iis qui habent eorum invincibilem ignorantiam, sufficere fidem implicitam.*

Similem ferè explicationem authoritatem Sacræ Scripturæ adhibet Illustrissimus P. Herincx suprà citatus, nempè partim significare, credentes explicitè in Christum, salvari per istam fidem; non negare autem, quin etiam inculpabiliter carentes ea notitia, salvari queant; partim excludere non credentes à salute, id est, qui increduli sunt mysteriis Christianis propositis, adeoque loqui de iis, quibus fides Christiana satis innotescere potuit: partim loqui de fide Christi, non tanquàm objecti, sed tanquàm causæ meritoriæ, quatenus omnes salvantur per fidem, quæ datur ex meritis Passionis & Sanguinis Christi: partim posse intelligi de necessitate præcepti, seu medii latè dicta.

Quod si authoritates aliquæ S. Augustini, nonnullis videantur plus urgere, poterunt, si voluerint prætactum Illustrissimum Patrem Herincx disp. 7. de fide q. 5. desuper consulere; nos autem brevitati studentes, & ubi, & quandò requisiti fuerimus, parati dare ulteriorem rationem, calamum ac metam ponimus.

Hæc sunt Illustrissime ac Reverendissime Domine, quæ pro meliori Suæ Illustrissimæ Gratiæ informatione in medium proferenda censuimus, quibus maturè perpensis confidimus fore, ut meliùs ac benignius discernat nostram causam, & propriis oculis clarè perspiciat, quam, non solùm tota doctrina, nostris Thesibus comprehensa, procul distet à censuris, quibus eam non dubitàrunt notare isti prætensi Theologi, verùm etiam, quàm pressis vestigiis inhæreat communibus Doctorum, etiam Lovaniensium sententiis. Ex quo pariter confidimus futurum, ut quos Illustrissima

ſtriſsima Gratia ſua, ex illorum mala informatione, ſibi reos conſtituit, eoſdem ex hac meliori, declaratura ſit (ut par eſt) omnimodò innocentes, omniſque malæ doctrinæ notæ ſuſpicione abſolvendos. Quod faciendo &c.

Præmiſsâ hâc informatione Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi, ex rationibus proparte PP. SEBASTIANI à S. PAULO, & MARCI à RESURRECTIONE DOMINI S.T. *Profeſſorum, quibus oſtenditur juſtitia appellationis eorundem à Decretis ejuſdem Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini* Archiepiſcopi *Mechliniensis, ex quorundam Theologorum judicio, contra Patres præfatos latis & intimatis, nec non Domini Officialis ejuſdem ſuper cauſa prohibitionis certarum Theſium Theologicarum Mehliniæ in Capitulo Provinciali Fratrum B. V.* Mariæ de Monte Carmelo, Provinciæ Flandro-Belgicæ, *diſputandarum diebus* 17. & 18. *reſpectivè anno* 1677. *in eum finem tempeſtivè diſtributarum.*

Quæritur

Primò: An non fuerit juſta ratio appellandi à præfato Illuſtriſsimi Domini Archiepiſcopi Decreto ad S. Sedem.

Secundò: An ſtante dictâ appellatione potuerit decerni per Officialem citatio adverſus Patres Theſium Præſides.

Tertiò: An non rectè fuerit per eoſdem Patres exceptum, & ſimiliter ab ejus Decretis appellatum.

Reſolutio ad primum.

Viſâ, & materiæ perpensâ informatione præmiſsâ.

Reſpondetur ad primum: quod videatur omninò ſubfuiſſe juſta ratio, ex qua P. Provincialis à præfato Illuſtriſsimi Domini Archiepiſcopi Decreto appellavit ad Sanctam Sedem.

Quia juſta ab iſtis & ſimilibus appellandi ratio, eſt gravamen irreparabile, illatum vel inferendum, cap. *Ad noſtram* §. *porrò de appellat.* idque ante litis conteſtationem, ante & poſt ſententiam. *Cap.* ſuper eo. *12. eod.* & *l.1.* §. *quæſitum* ff. *de appellat.* & omnes cum Menoch. *de arbitr. caſu 490. n. 3.* Surd. *deciſ. 36. n. 13.* Decian. *Reſp. 62. n. 21. vol. 5.* Miranda *q. 29. n. 51.* Gratian. *Cap. 20 2. n. 5.* Scaccia *q. 17. limit. 47. n. 85.* Barb. ad Cap. *Cum ceſſante* 60. *eod.* Amplia, eſto gravamen poſsit reparari pro parte, vel magna cum difficultate. Scaccia *cit. n. 86.* Surd. *deciſ. 39. n. 14. & 15.* Riccius *in prax. Reſol. 405. n. 2.* Compend. Rodriq. *Reſol. 10. n. 36.* Gratian. *Cap. 74 n. 12. & 13. & cap. 77. n. 9.* ex Barboſ. *cit.*

Decretum autem Illuſtriſsimi Domini Archiepiſcopi præfatum, intuliſſe varia gravamina, eaque irreparabilia, tum ipſi P. Provinciali, tum Patribus Theſium, per illud publicè defendi prohibitarum, Præſidibus intimatis, cum ſumma horum infamia, & maximâ confuſione totius Provinciæ, in PP. Gremialibus Comitiorum Provincialium (quorum P. SEBASTIANUS, primus intimatus, erat actualis Præſes, & CommiſſariusReverendiſsimi Patris Generalis) in quibus publicæ defendendæ erant, repræſentatæ, patet ex tenoribus utriuſque Inſtrumenti appellationis per P. Provincialem præfatum interpoſitæ: primi quidem, de 18. *Maii* 1677. & alterius *de 26.* ejuſdem *Menſis & anni.* Tùm etiam aliundè.

Primò:

Primò: Quia Decretum illud latum fuit ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo, tanquam à judice, hic & nunc incompetente, & nullam jurisdictionem habente, neque in Patrem Provincialem, cujus notoriè exemptam jurisdictionem graviter offendit & læsit, & neque in Patres Thesium Præsides intimatos, hujus Subditos; cum tam ipse P. Provincialis, quàm Patres præfati, sint notoriè exempti à foro & jurisdictione Illustrissimi D. Archiepiscopi, non secus ac Ordo Carmelitarum, cujus sunt membra, inter alios Mendicantiū Ordines, adeò notoriè exemptus, & S. Sedi immediatè subjectus, ut de eo dubitare nefas foret. Navarr. *in Comm. 2.* de Regular. *n. 63.* Vers. *addo 2.* & plures alii, quos citat & sequitur Donat. Laynens. *tom. 1. part. 2. tract. 13. q. 1. n. 1.*

Et Ordinarii justam illius ignorantiam allegare nequeant. Francisc. Zypæus *Consult. Canon. lib. 2. tit. de appellat.* cons. 3. *n. 9.* neque probari debeat in judicio. Donat. Laynens. *ibid. sup. q. 11. n. 2.* Imò nequidem allegari. *l. 1. ff. de fer.* Secundùm Innocent. in Cap. *Ex parte* il primo *n. 3.* Vers. *exempti autem.* de *verb. signif.* Paulus de Castro *Conf. 431. videtur dicendum n. 2.* vers. *Interdum nullo modo lib.* 1. apud Illustrissimum Dominum Prosp. Fagnanum *in 2. part. V. lib. Decretal.* tit. *de privileg.* in *Cap.* Tuarum. *n. 47.* quos *ibid.* sequitur.

Adeoque ex hoc capite Decretum illud intulit gravamen irreparabile, tum ipsi Patri Provinciali præfato, tum PP. Thesium Præsidibus intimatis: & consequenter justa subfuit ratio ab eo appellandi ad S. Sedem.

Ad hæc, cum Episcopi non habeant jurisdictionem in universaliter exemptos, nisi eis in aliquo casu, vel aliquibus casibus, specialiter tribuatur, ut constat, & habetur *Clem. unica de excessib. Prælat.* Bariola *in aphorism.* verb. *Episcopus.* de Murga *tom. 2. disquis. 10. n. 24.*

Nihil possunt in exemptos, nisi in casibus, in quibus hæc facultas specialiter eis attribuitur. Illustrissimus Dominus Prosp. Fagnan. *in 2. part. 1. Decretal.* tit. *de offic. & potest. Jud. Deleg.* in Cap. *Sanè* il. *2. n. 24.* Zachar. Pasqualig. *in addit.* ad Lauret. de Franch. *part. 1.* tit. *de cultu ergà non Canonizatos, q. 12.* in fine. & *Quæstion. moral. Canon. Centur. 2. q. 134. n. 4.* Zypæus *jur. Pont. nov. lib. 5.* tit. *de privileg. & excessib. privileg.* Et iterum *Consult. Canon. lib. 5.* tit. *de privileg. Conf. 3. n.* 3. Et ita etiam Lezana *Sum. qq. Regul.* verb. *Causa judicialis Regular. n. 13.* Ubi post Henriq. & Sanch. rectè addit: *Quod si Ordinarii tentent procedere contra Regulares exemptos in aliis casibus, in judicio, vel extra, processus, & cætera inde secuta, sint ipso jure irrita & nulla, cum nullam habeant jurisdictionem.* Et defectus jurisdictionis sit omnium maximus, quoad annullationem omnium actuum inde secutorum, ut tradunt Maranta *de ordine judic.* tit. *de testib. produc. n.* 6. Mascard. *de probat.* in præfat. *lib. 1. q. 5. n. 23. & 89.* quos citat & sequitur Pasqual. *loco statim citato.*

Quod verò casus Thesium, per Decretum Illustrissimi Domini Archiepiscopi præfatum, publicè defendi prohibitarum, sit unus ex exceptis, adeòque talis, in quo Episcopis facultas procedendi contra Regulares notoriè exemptos, specialiter attribuitur, neque probavit Illustrissimus Dominus Archiepiscopus (uti alioqui debuisset, uti per se manifestum est, & luculenter patebit exin-

ex infra dicendis) neque ipse, neque illi Theologi, quorum judicio suffultus, istud Decretum suum edidit, salvô meliori judiciô, probabunt unquàm.

Undè sic arguitur: Illustrissimus Dominus Archiepiscopus ferendo suum Decretum præfatum, egit hoc, vel jurisdictione suâ ordinariâ, vel subdelegatâ Apostolicâ, vel utraque simul?

Non *primum*: quia cum illi, contra quos latum fuit istud Decretum, sint notoriè exempti ab ejus jurisdictione ordinariâ, & immediatè subjecti Sanctæ Sedi, sequitur evidenter, quod ex hac ordinaria jurisdictione nihil adversus ipsos statui potuerit, adeoque nec decretum præfatum. Clarissimus Dominus Joannes Wamesius *tòm. 1.* de jur. Pont. *Consilio* (prout malè jacet in libro) 65.*n.*1. sub pœna alioqui irritationis ipso jure & nullitatis, ut vidimus supra ex nostro Lezana, & Pasqualigo post alios.

Non etiam *secundum*: quia cum Illustrissimus Dominus Archiepiscopus in Decreto suo præfato, nullam talis jurisdictionis delegatæ fecerit expressionem, sequitur etiam, quod illud non fecerit ex hac jurisdictione; cum ex discrimine & differentia qualitatis modus jurisdictionis dependeat. Idem Wamesius *loc. cit. n. 5.* quæ obindè de necessitate exprimenda erat, uti clariùs patebit ex statim subjiciendis.

Neque etiam *tertium*: quia uti naturalis seu communis & ordinaria causa, in quocunque dubio, & in plures partes propendente actu, potius quam accidentaria seu extraordinaria præsumitur, l. *Qui habet. de tutel.* præsertim ubi naturalis & accidentariæ concursus non permittitur. *gloss. in d.* l. *Qui habet. in verb. Cum magis.* Ita quoque in exercitio jurisdictionis, concurrente in eundem Judicem ordinariâ & delegatâ potestate, præsumitur potius ordinariæ exercitium, quàm delegatæ, tanquàm accidentariæ jurisdictionis: & Judicem, utrâque hâc qualitate præditum, potius ut Ordinarium, quàm ut delegatum, actum jurisdictionalem facere per respectum ad naturalem seu ordinariam potestatem. Andr. Barbatia *Conf. 88. mihi videtur. n. 15. vol. 3.*

Unde est, quod Fredericus de Senis *Conf. 130. factum est tale, quidam Dominus n. 3.* apertè scribat, processum Episcopi seu Vicarii ejus habentis ordinariam & Apostolicam authoritatem, non tantùm ex speciali Pontificis delegatione, sed etiam ex generali Canonis, esse omninò nullum, si cum illum ordinariâ potestate facere non potest, eundem faciat nullâ qualitate expressâ: ob id, quod nullâ expressione factâ, censeatur actum facere suâ ordinariâ, non alienâ delegatâ potestate. Alioqui subesset aperta pugna inter voluntatem & potestatem, quod enim vellet ex ordinaria potestate, non posset, & quod posset, se velle non declararet. Cap. *Cum super. de offic. & potest. Jud. delegat.* l. *multum interest. C. si quis alteri vel sibi* &c.

Cum igitur Illustrissimus Dominus Archiepiscopus in suo Decreto qualitatem Delegati Apostolici non expresserit; sed usus fuerit stylo ordinario, uti constat ex tenore ipsius Decreti, præsumendum est Decretum illud edidisse jurisdictione ordinariâ; quod cum non potuerit adversus notoriè exemptos, sequitur, quod planè incompetenter & absque ulla jurisdictione illud tulerit.

Ex quibus magis elucescit, & liquet, quod Decretum præfatum factum fuerit ab

rit ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo, tanquam à Judice incompetente, & hic & nunc nullam habente jurisdictionem in illos, contra quos latum fuit; ac ideò non sine eorum imcomparabili & irreparabili gravamine, ex quo omninò conficitur, justam subfuisse rationem ab eo ad S. Sedem appellandi.

Et verò, ut Illustrissimus Dominus Archiepiscopus in suo Decreto præfato, contra PP. Thesium Præsides intimatos, ab ipsius jurisdictione notoriè exemptos, securè & prudenter potuisset procedere in vim Sacrosancti Concilii Tridentini, tanquam Delegatus Apostolicus, debuisset ipsi ante omnia constare, casum Thesium suo Decreto publiè defendi prohibitarum, esse unum ex exceptis contrà notoriè exemptos in Concilio Tridentino.

Nam (præterquam quod authoritas delegata non tollat exemptionem Abb. *in* Cap. *Grave.n.1. & 5. de offic. ordin.*) quando aliqua qualitas requiritur ad actum, de illa primò constare debet, & probanda est qualitas jurisdictionis à principio, si negetur. Felin. *in* Cap. *si Clericus n.* 2. vers. *limita secundo.* de *for. compet.* Alex. *cons.* 1.*n.* 8. *lib.* 5. Tiraq. 2. *tract. de retract. lignag.* §. 8. *gloss.* 5, *n.*19. Vant. *de nullitat.* tit. *ex defect. jurisd. n.* 53. Vers. *etsi à principio.* Ant. Gomez *var.*3. *tom. cap.* 1. *n.* 44. & *cap.* 9. *n.* 1. Guttier. *pract. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 4. Riccius *praxi aurea. resol.*38.*n.*1.

Quia qualitas tribuens jurisdictionem, non præsumptivè, & per indicia; sed concludenter probari debet. l. 2. §. *sed si dubitetur.* ff. *de judic.* Paris de Put. *de Syndic. in* verb. *Judex cap*, 2.*n.*13. ver. *judic. semper debet constare.* Benintend. *decis.*18.*n.*3. Andr. Gail. *de pace publ. cap.* 13.*n.*13. *& seq. lib.* 1. Et ita etiam Donatus Laynensis *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 13. *q.* 48. *n.* 13.

Ubi *n.* 4. optimè ad rem notat, quod Regulares exempti nequeant suam exemptionem amittere, nisi ob qualitatem delicti, sicut refugiati in Ecclesia non possunt privari immunitate, nisi ob qualitatem commissi criminis; quæ debet perfectè probari, ut actualiter illâ priventur: & hoc ideò; quia refugiati in Ecclesia, quoad immunitatem loci, habent præsumptionem juris, & regulariter sunt exempti, ac nequeunt molestari, nisi in casibus exceptis; qui ut censeantur tales, sunt omninò legitimè probandi. Quia contra certam juris Regulam non datur locus præsumptis, nisi concludenter probatis. Peyrin. *tom.* 1. *privileg. in* 2. *Constit. Sixti IV. n.* 62. in fine & *tom.* 3. seu *in additam. ad d. Constit. Sixti IV. cap.* 2. *n.* 30. Lezana post omnes de communi in *Sum.* verb. *delinquens n.* 2. Bordon. Resol. 7. q. 9. Vers. *tertia conditio* in fine.

Videtur quidem, vel ipse Illustrissimus D. Archiepiscopus, vel potius Theologi illi, ex quorum judicio & consilio in hac causa processit, ad hæc aliquo usque reflexisse, dum in utroque suo Decreto de *die* 20. *Maii* 1677. personarum utriusque Thesium Præsidis coram D. Officiali citatoriali, invariato nonnihil stylo prioris Decreti de *die* 17. *ejusdem Mensis & anni*, addiderit sequentia: *Nostri nempe sit officii ab eodem populo avertere pericula damnationis, & scandala, & cognoscere de doctrina, quæ illi proponitur, nec non revocare deprehensos in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus contrariis*; in quibus omninò videtur voluisse fundare suam jurisdictionem in Patres Thesium

sium Præsides intimatos, notoriè alioqui ab ea exemptos.

Sed cum hanc qualitatem nudè allegaverit, & nullatenus probaverit, non potuit illa hic & nunc sufficere ad fundandam ejus jurisdictionem contrà notoriè ab ea exemptos, uti statim efficaciter (ni fallor) probatum est.

Imò cùm per hæc verba, *nec non revocare deprehensos in erroribus S. Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus contrariis*, hic de novo superaddita, expressa sit nova qualitas, & novus gradus censuræ, nedum assertiones Thesium; verum etiam ipsas utriusque earundem assertoris personas afficiens, tanquam *deprehensas in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus contrariis*, per utrumque istud Decretum, utrique Patri intimato, irrogata fuit nova & incomparabilis injuria & gravamen.

Nam imprimis ly *nec non revocare deprehensos in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus contrariis*, non potest cadere in Thesium Assertiones, seu in propositiones, uti per se patet; & cum nihil aliud restet, quod afficere possit, præter ipsas Thesium & Assertionum earundem Præsidum personas; consequens est ut has affecerit, uti etiam per se patet.

Deinde nisi illa verba affecerint, & appellârint ipsas Thesium Præsidum personas, omninò malè & frustrà Illustrissimus Dominus Archiepiscopus prætendisset suam in illis fundare jurisdictionem in personas dictorum Præsidum, notoriè ab ea exemptas. Quia si eorum personæ per illa non afficiantur & appellentur, tanquàm *deprehensæ in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino & SS. Patribus contrariis*, ab iisque *revocandæ*, per hoc quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus ex officio debeat *revocare deprehensos in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Trid. & SS. Patribus contrariis*, non potuisset procedere contra ipsos, utpotè *minimè deprehensos in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Trid. & SS. Patribus contrariis*, obindèque *minimè ab illis revocandos*, & sic suam jurisdictionem contra ipsos, malè & frustrà prætendisset in illis fundare.

Ac proindè, cùm ista utriusque illius Decreti citatorialis verba, affecerint & appellaverint ipsas Thesium Præsidum personas, & de novo fuerint addita, per utrumque istud Decretum nova & incomparabilis injuria utrique ex hac parte illata fuit.

Quia verba qualificativa, de novo adjecta, non possunt non novam inducere injuriam, quando sunt diversæ speciei à prioribus; tunc enim tanquam novæ circumstantiæ, in genere moris, speciem mutantes, novam speciem injuriæ secum trahunt, juxtà §. *Præterea.* Instit. *de inut. stipulat.* & l. *si vir.* ff. *de legat.* 3. & *Cap.* Cum Martha §. Quæsivisti. *de celeb. Miss.* & juxta ea, quæ notant Alexand. in *l.* 1. §. si quis ff. *de verb. oblig.* Jason. in l. *Jus autem civile.* ff. *de just. & jure.* Surd. *Consf.* 366. *n.* 23. Menoch. *de recup. possess. remed.* 6. n. 8. quos citat & & sequitur Zachar. Pasqualig. *Quæst. moral. juridic. q.* 233. *n.* 8.

Quod autem verba illa, *deprehensos in erroribus S. Scripturæ, Concilio Trid. & SS. Patribus contrariis*, in genere moris, sint specie diversa ab his, *in iisdem Thesibus diversa contineri sanæ doctrinæ contraria, ex quibus in populo nobis commisso nata sunt oriri scandala*, quæ continebantur in *primo* Illustrissimi Domini Ar-

ni Archiepiscopi Decreto de *die 17. Maii* sup. cit. itemque ab his, & *ex Theologorum judicio essemus informati inter easdem Conclusiones contineri aliquas, ex quibus natum erat in populo nobis commisso scandala suscitari*, quæ continebantur in *utroque secundo* ejusdem Illustrissimi Domini Archiepiscopi Decreto de *die 20. ejusdem mensis & anni*, est ex ipsis terminis clariùs, quàm ut ullâ probatione indigeat, aut ullâ tergiversatione negari queat: cum qualitas eorum verborum, *deprehensos in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus contrariis*, per se loquendo, importet gradum *Hæresis*; non verò qualitas aliorum.

Tantùm verò abest, ut Illustrissimus Dominus Archiepiscopus dictas qualitates concludenter probaverit, aut etiam casum Thesium per suum Decretum publicè defendi prohibitarum, esse unum ex exceptis per Concilium Tridentinum contrà notoriè exemptos (uti alioqui debuisset ex præmissis) ut neque ipse, neque isti Theologi, quorum judicio fretus processit ad istud Decretum, aut qualitates illas concludenter probare, aut assignare possent unum locum in toto Concilio Tridentino præfato, ubi casus ille contra dictos exemptos excipiatur.

Etenim, si posset assignari ullus locus, vel ullum Concilii Tridentini *Caput*, in quo casus prohibitionis Thesium præfatarum contrà notoriè exemptos foret exceptus, maximè primò *sess. 4. de lect. & usu Sacror. libr.* ubi Regulares, etiam exempti, qui libros, de rebus sacris tractantes, imprimunt, vel imprimi faciunt, sine nomine Authoris, aut illos vendunt, vel etiam apud se retinent absque Episcopi, & suorum Superiorum examine & approbatione, subjiciuntur correctioni Episcoporum. Illustrissimus Prosp. Fagnan. *in 2. part. 1. Decretal. tit. de offic. ord. in Cap.* Grave. *n. 40.*

Secundò: *Cap. 2.* Vers. *Si verò sess. 5. de Reform.* ubi Regularis, qui errores & scandala disseminaverit in populum, subjicitur similiter correctioni Episcopi. Idem Fagnan. *ibid. n. 43.*

Tertiò: *Cap. 14. sess. 25. de Regular.* ubi Regulares, qui etsi degant intra Claustra, tamen extrà notoriè & cum scandalo delinquunt, sub certis conditionibus, ibi expressis, pariter subjiciuntur correctioni Episcoporum. Idem Fagnan. *ibid. n. 69.*

Atqui nullus ex istis tribus casibus, ibi per Tridentinum contra Regulares exemptos exceptis, intervenit in præsenti casu prohibitionis Thesium; ergò non potuit Illustrissimus Dominus Archiepiscopus in casu controverso procedere contra Patres Thesium Præsides intimatos, notoriè exemptos, tanquam Delegatus Apostolicus. Consequentia est omninò legitima ex suprà probatis. Probatur antecedens pro 1. parte.

Non enim primus *sess. 4.* Quia ille Concilii locus solùm procedit de Regularibus imprimentibus &c. *libros* tractantes de rebus sacris. Zachar. Pasqualig. *in addit.* ad Lauret. de Franch. *tit. de lect. lib. prohib.* n. 1567. & 1568. Bordon. *tom. 3. var. resolut. resol. 58. n. 24.* & alii communiter.

Est autem luce meridianâ clariùs, quod Theses PP. Præsidum intimatorum, non sint *libri*, cum singulæ non contineant nisi unicum folium chartæ in 4. complicatum, & etiam præferant nomina suorum Authorum, & cætera de jure ad illas requisita.

At

Ac ſignanter, quid quoad ſimiles Theſes imprimendas ſufficiat nobis Carmelitis, ut ſatisfiat iſti S. Concilii Decreto, ſatis clarè inſinuat Lezana. *Sum.* verb. *libri n.* 6. ubi poſt allatum Decretum Conſtitutionis Capituli Generalis Cremonenſis *cap.10.n.3.* in hæc verba: *Non audebit quiſquam impoſterum librum, ſeu opuſculum aliquod prælo tradere ſine licentia Prioris Generalis, ſub pœna privationis loci, vocis, & gradus. Ab unaquaque autem Provincia, deputentur quatuor Examinatores, & reviſores operum, & librorum imprimendorum, qui Priori Generali de opere reviſo ſententiam ſuam ſignificabunt. Concluſiones verò de licentia Reverendorum Magiſtrorum Provincialis, & Regentium Collegii imprimi poterunt pro diſputationibus ineundis,* ſubdit: *Quâ conſtitutione Decreto Concilii ſufficienter ſatisfit.*

Hæc autē, juxta uſum Provinciæ noſtræ fuerunt obſervata circa Theſes, quarum publica defenſio per Decretum Illuſtrisſimi D. Archiepiſcopi præfatum, fuit prohibita; adeoque circa illas huic Decreto Concilii Tridentini ſufficienter ſatisfactum: & conſequenter juriſdictio Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi, tanquam Delegati Apoſtolici, non potuit contra iſtarum Theſium Præſides, notoriè exemptos, fundari in illo Concilii Tridentini loco.

Nec dicas 1. juriſdictionem delegatam Apoſtolicam Illuſtriſsimi Domini Archiepiſcopi in præſenti fuiſſe fundatam in Decreto Concilii Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ.10.* à Concilio Tridentino *hoc loco* innovato; quod per iſta verba, *nullus librum aliquem, ſeu aliam quamcumque Scripturam,* totum, quod diſponit de libris imprimendis, extendit ad quaslibet Scripturas, ut ſunt *Conſultationes, Informationes, ſententiæ, Deciſiones, Concluſiones,* & aliæ hujuſmodi, ut notant Azor *part.1.lib.8.cap.17.q.2.* Alter. *de cenſ.lib.5.diſp.2,c.8.q.1.* Filliuc. *tract.14.c.6.q.6.n.83.* Bonac. *diſp.2. de cenſuris in part.qu.2:punct.16.n.11.*

Reſpondeo enim Decretum Concilii Lateranenſis fuiſſe quidem innovatum in hoc præſenti Concilii Trident. Decreto, quoad pœnas; non verò quoad totum tenorem. Zypeus *in notitia juris Belg.lib.*1.tit. *de Sum. Trin. & fid. Cathol.n.17.* Lezana. *loc.ſup.cit.n.5.* Ac proindè in iſto Decreto Concilii Lateranenſis, quatenus in hoc Concilii Tridentini Decreto innovato, non magis poteſt fundari prætacta Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi juriſdictio, quàm in in ipſo Concil. Tridentini Decreto ſecundum ſe; in quo tamen in caſu controverſo nullatenus fundari, jam vidimus.

Deindè gratis ſuppoſito, & non conceſſo, quod in præſenti Conc. Trident. Decreto, quoad totum tenorem ſuum innovatum fuiſſet Decretum Conc. Lateranenſis præfatum; adeoque illud, non ſecus ac hoc, extenderetur ad quaslibet Scripturas, ut ſtatim explicuimus, adhuc juriſdictio Illuſtriſsimi Domini Archiepiſcopi controverſa, in illo fundari non potuit, magis, quàm in ipſo Decreto Concilii Lateranenſis, in quo nullatenus fundari potuiſſe, ſtatim efficaciter (ni fallor) probabitur.

Nec dicas 2. juriſdictionem illam Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi fuiſſe fundatam, in Decreto Concilii Lateranenſis præfato, quatenus in totum innovato & confirmato in Regula Indicis 10. quæ ſic habet: *In librorum, aliarumve ſcripturarum impreſſione, ſervetur,*

tur.quod in Concilio Lateran. sub Leone X. seß. 10. statutum est &c. apud Lezana verb. *libri sup. cit. n. 4.* Quò Decretò, etiam comprehendi *Theses*, seu *Conclusiones Theologicas*, apparet satis verosimile in ipso textu, ex verbo, *seu aliam quamcunque scripturam*.

Respodeo enim ex eodem Lezana *ibid. n. 10.* Consuetudini legitimæ quoad hoc standum, & cum Zachar. Pasqualig. *tit. de lectione libror. prohibibit. sup. cit. n. 1570.* in hoc attendendam esse praxim: siquidem, alicubi usus obtinuit, quod aliquæ minores scripturæ, quæ minimè suspectæ esse solent, ut sunt *informationes, consultationes*, & aliæ hujusmodi, imprimantur absque alia licentia, scientibus, & permittentibus Ordinariis, & Inquisitoribus.

Est autem notorium & manifestum, quod hic in Belgio, à tempore immemoriali, fuerit, & etiamnum hodie vigeat consuetudo & praxis, absque ulla licentia, vel Ordinarii, sive Apostolici, sive Diœcesani, sive Regii Censoris approbatione, imprimendi *ordinarias Theses* seu *Conclusiones Theologicas, motiva juris*. & nonnulla hujusmodi, scientibus, & permittentibus, neque reclamantibus locorum Ordinariis, Illustrissimis Belgii Internuntiis, Conciliis, aut Ministris Regiis. Pro qua consuetudine & praxi in hoc Belgio nostro, quamvis probatione non indigeat, utpotè notoriâ, PP. Thesium Præsides intimati, ex superabundanti, varia suo tempore adducent testimonia, quibus, & aliis innumeris ferè, quæ facilè adduci possent (si opus foret) sufficienter probabitur, etiamsi aliundè non foret notoriè manifesta. Imò de ea consuetudine & praxi constat satis ex Thesibus, quarum in tota sua *informatione* adducunt authoritates, quarum nulla est, aut fuit ab aliquo Censore approbata.

Ex quibus videtur omninò certum, quod in controverso Illustrißimi Domini Archiepiscopi Decreto, nequaquam intervenerit casus *seß. 4.* seu *primus* ex tribus supra allatis per Conc. Tridentinum contra Regulares exemptos, exceptis; adeoque quod in isto Tridentini loco, non potuerit Illustrißimus Dominus Archiepiscopus fundare suam jurisdictionem Delegati Apostolici, contra Patres Thesium Præsides intimatos, notoriè exemptos.

Neque etiam intervenit *secundus casus*, per Trident. *Cap. 2.* vers. *si verò.* seß. 25. *De Reform.* contra Regulares exemptos exceptus: Quia (dißimulatò eò) quod ibi solùm agatur de prædicatoribus publicis è suggestu conciones habentibus, & in iis errores, aut scandala disseminantibus, & horum nomine, in pœnalibus & odiosis, qualia hæc sunt, non debeant venire S. Theologiæ Professores, publicas disputationes, quæ à publicis concionibus, toto cœlo, ut ita dicam, differunt, habentes) vi hujus Tridentini Capitis, valent quidem Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, contra Regulares, etiam quomodolibet exemptos, secundum juris dispositionem, & loci consuetudinem, procedere, ut rectè Barbosa *ibid. n. 24.*

At valdè prudenter & circumspectè idem Barbosa *ibidem* post multos insignioris notæ Doctores, quos citat, subdit hæc verba, digna quæ stylo ferreo indelebili charactere sculpantur in cordibus omnium Episcoporũ: *Curando tamen ne falsis informationibus, vel aliàs calumniosè aliquis eorum vexetur ex præmißis.*

Collige, nullas in Thesibus controversis,

versis contineri Propositiones, fidei Orthodoxæ, sanæ doctrinæ, bonis moribus contrarias, aut etiam populo scandalosas, & multò minùs *errores S. Scripturæ, Conc. Trident. & Patribus contrarios*; ideoque Illustrissimum Dominum Archiepiscopum suam jurisdictionem in Patres intimatos, non potuisse fundare in qualitate Inquisitoris, quâ ipse, uti alii Ordinarii gaudent, maximè in Belgio, ubi Sacra Inquisitio non viget, & hæreses grassantur impunè: quia qualitas hæc non habet locum, nisi in tali materia, uti per se manifestum est, & videri potest apud Lezanam *Sum.* verb. *Episcopus quoad Regulares n. 26.* & alibi. Et alioqui hic revera talem materiam in istis Thesibus intervenisse, ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo probandum fuisset, antequam ex hoc capite potuisset procedere contra Patres præfatos; uti probabitur infrà.

Ex quibus iterùm liquet, quod in casu hic controverso prohibitionis Thesium præfatarum, non intervenerit *secundus casus*, ex tribus per Conc. Trident. suprà contra exemptos Regulares exceptis: adeòque Illustrissimus Dominus Archiepiscopus non potuerit suam jurisdictionem prætensam Delegati Apostolici in eo fundare.

Neque etiam intervenit tertius casus *Cap. 14.* sess. 25. *de Regular.* Quia id ex ipso textu manifestius est, quàm ut aut negari queat, aut ulteriori probatione indigeat. Siquidem ibi expressè dicitur: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit, & extrà ea, ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit; Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus, ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

Solùm nota 1. Quod omnes conditiones, in illo textu præfixæ, debeant copulativè concurrere, ut Episcopus possit in illius vim procedere contra Regulares exemptos. Quia ibi Conciliũ præscribit formam servandam, quæ cum consistat in indivisibili, deficiente aliquo de ipsa (maximè in materia pœnali & odiosa, qualis hæc est) tota corruit, atque adeò etiam fundamentum jurisdictionis Episcopo concessæ. Zachar. Pasqual. *in addit.* ad Lauret. de Franch. *part.* 1. tit. *In quibus Regular. subdantur Episc. n. 5.* Bordon. *Var. resolut. part. 1. resp. 7. n. 12.* Illustrissimus Dominus Prosp. Fagnanus *in 2. part. V. lib. Decretal.* tit. *de Privileg.* in C. *Tuarum. n. 42.*

Nota 2. Quod qualitas *notorietatis & scandali*, ibi requisita, omninò probanda sit, nec sufficiat illam ab Episcopo allegari: quia agitur de jurisdictione, quæ solùm conceditur Ordinario à Concilio ex talis delicti qualitate, Zachar. Pasqual. *in addit.* ad Lauret. de Franch. tit. *de potest. Episc. in Regular. delinqu. q. 5. n. 122. 123.* Quando autem qualitas fundat jurisdictionem, debet prius de ipsa constare, ut tradunt supra quinquaginta Doctores, quos allegat, & sequitur Menoch. *Cons. 1045. n. 3.* Quando enim jurisdictio convenit ex qualitate, remanet dubia, nisi constet de qualitate; ac proindè debet Judex cognoscere, an sua sit jurisdictio. *l. 2. §. sed si dubitetur.* & l. *si quis ex aliena* ff. *de judic.* Et qui vult uti aliquâ jurisdictione, debet scire, se illam habere l. *hac autem* §. 1. ff. *ex quib. caus. in poss. eat.* Quod in præsenti non potest contingere, nisi constet de qualitate, ex qua convenit.

Præte-

Præterea jurisdictio, quæ convenit ex qualitate, convenit sub conditione talis qualitatis, quia si deficit qualitas, deficit etiam jurisdictio. Quando autem jurisdictio convenit sub conditione, debet prius purificari conditio, quam competat. *Glos. in Clem. 1. verb.* reperierunt *de offic. deleg.* Cardin. *in Clem. 1. n. 18. de concess. preb.* Ancharan. *Cons. 36. n. 4.* Vers. *Item ex aliquo capite.* Dec. *cons. 603. n. 9.* Gozadin. *cons. 2. n. 16.* quos sequitur Rota coram Ludovis. *decis. 1. n. 3.*

Istas verò conditiones copulativè concurrisse, & hanc qualitatem *notorietatis & scandali* in prætenso (sed malè & frustrà, ut constat ex hucusque præmissis) & nullô modô probato Patrum intimatorum delicto intervenisse, nec probavit, nec probabit unquàm, vel ipse Illustrisimus Dominus Archiepiscopus, vel illi Theologi ejus Consiliarii sæpè præfati.

Quin potius ex prælibata *informatione* clarè elucet, quod Patres intimati in assertionibus suarum Thesium, publicè defendi prohibitarum, *nullos errores*, aut *scandala* disseminaverint, nihilque *sanæ doctrinæ, S. Scripturæ, Concilio Tridentino & Patribus contrariũ*, & consequenter nullum commiserint delictum, ob quod tàm infami pœnâ, maximam pro ipsis, & pro integra Provincia, imò & toto Ordine, confusionem, præter summam injuriam, inferente, nec citati, nec auditi, mulctandi erant.

Ex quibus iterùm tàm manifestè liquet, quod in Decreto Illustrissimi Domini Archiepiscopi controverso, non intervenerit *tertius casus* ex exemptis per Concil. Trident. sup. ut vel ipse Illustrisimus Dominus Archiepiscopus nec posset, nec auderet hoc differi, nisi eo ipso, proprio se, ut dicitur, gladio jugulet, palamque fateatur, se in condendo suo contrà Patres intimatos Decreto, non servasse formam sibi à Concilio ibi præscriptam, & planè incompetenter, & absque jurisdictione processisse. Quod confido hucusque satis clarè & solidè probatum esse.

Ac proindè satis etiam patere, quod PP. Appellantibus ex hoc primo capite Decretum illud Illustrissimi Domini Archiepiscopi intulerit gravamen irreparabile, & consequenter subfuerit justa ab eo ad S. Sedem appellandi ratio.

Siquidem, si extra casus exceptos fuerit ab Ordinariis quid statutum in notoriè exemptos, & appellationi & attentatorum privilegio locus erit, ut more suo doctissimè Zypæus *Consultat. Canon. lib. 2.* tit. *de appellat. Cons. 3. n. 10. in fine.*

Ostenditur, quod simile gravamen intulerit.

Secundo: Quia Decretum istud latum fuit non servato Juris ordine, videlicet parte nec citatâ, nec auditâ, cum tamen *citatio* sit unum de substantialibus judicii, non solùm jure positivo; sed etiam naturali: est enim species defensionis, quàm omnes Judices didicerunt à Domino. Clem. *Sepè. de verb. signific.* Imò prima pars judicii Instit. *de pœn. temere litig.* §. *omnium.* nullus enim inauditus condemnandus est, secundùm omnes, nullo contradicente. Bordon. *tom. 5. prax. Crimin. cap. 65. n. 5.* Unde eâ omissâ, nulla sunt acta Judicis, cum nulla res existere valeat sine sua essentia. Ita omnes cum Farinac. *q. 11. n. 37.* Gisber. *cap. 20. n. 9.* de Bictis *q. 78. n. 1.*

Nec relevat hunc defectum id, quod in utrisque respectivè PP. Thesium

Præfi-

Præſidum, coràm Officiali citatorialibus *de 20. Maii 1677.* addidit Illuſtrisſimus Dominus Archiepiſcopus, nimirùm *tempore urgente*: quaſi inſinuatio Decreti ita urſerit, ut non ſuperfuerit tempus illos citandi & audiendi.

Quia cum Theſes illæ per totam civitatem Mechlinienſem fuerint, more ibidem ſolito, diſtributæ octo circiter diebus ante diem earundem publicæ defenſioni præfixam, & intereà ab Ampliſſ. Dominis Fiſcalibus Supremi ibidem Conſilii in Judicio contradictorio expetita, ſed parte deſuper auditâ minimè impetratâ earundem Theſium publicæ defenſionis prohibitio; & Decretum Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi præfatum, inſinuatum fuerit P. Provinciali, nonniſi unâ horâ ante Theſium iſtarum defenſionem publicam in templo habendam; poſtquam ſcilicet jam à duabus circiter horis, ipſi Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo, vel potius ejus Theologis, innotuerat, ſuum conatum iſtâ viâ impediendi defenſionem publicam iſtarum Theſium, per prudentisſimam ejuſdem Conſilii ad reſcriptionem Patrum intimatorum apoſtillam, fuiſſe eliſum & invalidum; illud effugium non poteſt cenſeri, niſi mera & frivola excuſatio in peccatis.

Cùm verò Patrum Theſium Præſidum plurimum interfuerit, ante inſinuationem iſtius Decreti, citari & audiri, ad ſeſe & doctrinam ſuam hactenus à ſuis prædeceſſoribus Lovanii, & alibi ſæpius, & à multis annis nullo quidquam opponente, publicè defenſam, in Scholis noſtris bonâ ſemper fide traditam, & pro tota Provincia regulamentarem, in probatis Authoribus impreſſam, nullâ hactenùs cenſurâ ab Eccleſia aut aliis Superioribus notatam, vel ullo modo doceri prohibitam, iſtis Theſibus contentam, defendendum contrà conſilia Theologorum Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi, quoad iſtud Decretum Conſiliariorum, atque etiam ut à ſe, ac tota Provincia, imò etiam à toto Ordine tempeſtivè propulſarent ſummam confuſionem, incomparabilem injuriam, & infamiæ notam per illud inferendum; & intereà Decretum contra ipſos latum fuerit, ipſis non citatis, & inauditis, ſequitur evidenter, quod etiam ex hoc capite per illud Decretum ipſis illatum fuerit irreparabile gravamen, & conſequenter, quod nedum juſta, verùm etiam juſtisſima ſuffuerit ratio ab eo appellandi ad S. Sedem.

Ubi negari non poteſt primò: quin *Patrum Theſium præſidum intimatorum plurimum interfuerit, ante inſinuationem iſtius Decreti citari & audiri*; tunc enim ſub humili correctione, potuiſſent dare rationem ſuæ doctrinæ, & mentem ſuam circa illam explicare, etſi non potuiſſent dare bonam rationem ſuæ doctrinæ, & mentem ſuam ſufficienter explicare, & probare doctrinam ſuam eſſe immunem à cenſuris, quibus in Decreto Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi præfato notatur, & ipſis probatum fuiſſet, eam non poſſe ſano ſenſu intelligi, & publicè defendi, & eo non obſtante equidem voluiſſent ei pertinaciter adhærere (quod certè de Viris adeò Religioſis, & inter Provinciæ primarios jure meritò reputandis, ne ſuſpicari quidem poſſet ſine temeritate) tunc ſervatis in proceſſu Ordinariorum contra exemptos de jure ſervandis, ſalvo debito juris ordine, potuiſſet contra ipſos Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſ-

copus pro Officii sui munere procedere. Quod certè omninò sufficisset ad hoc, ut Illulustrisslimus D. præfatus suo muneri prudenter ac providè, & sine Patrum istorum, totius Provinciæ, ac totius Ordinis confusione, injuria, & infamiæ nota satisfecisset.

Quinimò tantò magis Patrum Thesium Præsidum intimatorum interfuit, ante insinuationem istius Decreti, citari & audiri, ut potuissent Illustrissimo Domino Archiepiscopo, vel istis Theologis ejus Consiliariis exhibere allegata & probata in supremo parlamento Mechliniensi, & pro sua innocentia, & pro assertionum Thesium suarum ab istis censuris immunitate.

Cùm enim ipsorum Theses, verisimilius ab illis ipsis Theologis præfatis (uti in *informatione* suprà insinuatum est) delatæ fuissent ad Parlamentum præfatum, & sugillatæ, tanquam *continentes varia sanæ doctrinæ contraria*, &c. & obinde per Amplissimum Dominum Fiscalem satis urgenter expostulata earundem Thesium publicæ defensionis prohibitio, & visâ ac maturè perpensâ rescriptione Patrum Thesium Præsidum, Ornatissimum illud Parlamentum nihil invenisset in ipsis aut in eorum Thesibus causæ, ob quam prætensam prohibitionem concederet, potuissent hæc ipsa, & alia, si opus fuisset, allegare etiam Illustrissimo Domino Archiepiscopo, quibus similiter visis, & maturè perpensis, potuisset melius eorum causam discernere, exemplum tam celebris Parlamenti præferre suorum Theologorum sinistræ informationi, & deterreri ab eo, ne cum tanta præcipitantia, tam præjudicabile Decretum tulisset.

Imò cùm non sit credibile, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus, vel saltem isti Theologi, ejus Consiliarii, ignoraverint ista inter Patres Thesium Præsides & Amplissimum Dominum Fiscalem in parlamento præfato, acta & actitata, absque eo, quod esset in illo quidpiam ordinatum in illorum, aut publicè suarū Thesium defensionis, præjudicium, & eo non obstante Illustrissimus D. Archiepiscopus, ex istorum Theologorum judicio & suggestione, ipsis nec citatis nec auditis, viâ facti contra ipsos processerit, & tulerit suum Decretum publicæ dictarum Thesium defensionis inhibitorium, & variarum assertionum earundem censuratorium, an Illustrissimus Dominus præfatus, in ferendo suo Decreto, vel potius isti Theologi, quorum consilio ad illud ferendum inductus fuit, possint excusari à nimia præcipitantia, & modus ille procedendi cum dictis Patribus, fuerit secundùm Deum & bonam conscientiam, secundùm Regulas justitiæ, & charitatis Evangelicæ, & etiam secundùm illam, quam in similibus Episcopis præscribit Sacrosanctum Concilium Tridentinum, æquissimo Judici *ad quem* discernendum relinquo.

Certè si benè ponderentur verba Conc. præfati *sess. 13. de Refor. c. 1.* quibus nonnulla statuit, quæ ad jurisdictionem pertinent Episcoporum, & sic se habent: *Illud primum eos admonendos censet*, ut se pastores, non percussores esse meminerint, *atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant, elaborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen*

men, si per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda preceptio; ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cùm sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas quàm potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virgâ opus fuerit, tum cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur; & qui correcti fuerint, emendentur, aut si resipiscere noluerint, cæteri, salubri in eos animadversionis exemplo, à vitiis deterreantur: cum sit diligentis & pii simul pastoris officium, morbis ovium levia primum adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora & graviora remedia descendere. &c.

Itemque si consideretur, quod conditiones & cautelas præscribat *sess. 25. cap. 14. de Regular.* ad hoc, ut Episcopi valeant procedere contra Regulares exemptos; modus ille, quo Illustrissimus Dominus Archiepiscopus processit contra Patres intimatos, aut nullatenus, aut ægrè admodum ab excessu excusari posse videtur.

Negari etiam non potest secundò: quin per Decretum istud, ipsis Patribus intimatis, nec citatis, nec auditis, contra ipsos latum, *tum ipsis, tum toti Provinciæ, tum etiam toti Ordini illata fuerit summa confusio, incomparabilis injuria, & infamiæ nota.*

Imprimis *summa confusio:* Quia cùm in Supremo Parlamento Mechliniensi (uti jam prælibatum est) nihil fuisset ordinatum in publicæ sæpè dictarum Thesium defensionis præjudicium; & illæ jam ab octiduo in eum finem per totam civitatem Mechliniensem more solito fuissent distributæ, & dies ac hora publicæ earundem defensioni in iisdem præfixæ, jam advenissent, & Theses, more solito, toto tempore antemeridiano solemniter fuissent appensæ ad valvas Ecclesiæ, Sedes quoque seu cathedra pro præsidentibus & defendentibus ornata & præparata, sedilia pro auditorio ex parte disposita; & ad manum collocata; imò inciperent actualiter confluere Auditores: manifestum est, quod defensio istarum Thesium, istis omnibus ad illam ita compositis, non potuerit per Decretum Illustrissimi Domini Archiepiscopi viâ facti prohiberi, & impediri, sine summa confusione.

Deindè *incomparabilis injuria*: non solùm, quia Patres Thesium Præsides intimati, nec citati, nec auditi, per Decretum istud Illustrissimi Domini Archiepiscopi rei aguntur circa doctrinam, aliàs à se, & ab aliis quampluribus Viris doctissimis, etiam almæ Universitatis Lovaniensis Sacræ Theologiæ Doctoribus (uti *in informatione* præfertur) liberè ac sine ulla contradictione, optimâ fide traditam, & ab Ecclesia, aut ejus ministris, authoritatem habentibus, non damnatam, nec publicè aut privatim defendi prohibitam hactenus, & obindè in eo taxentur & censurantur, tanquam patroni assertionum Theologicarum, *sanæ doctrinæ, ædificationi ac securitati salutis animarũ, contrariarum, nec non* tanquam *deprehensi in erroribus S. Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus contrariis,* quæ ad oculum patet esse summè injuriosa.

Verùm etiam; quia, cum in judicio contradictorio coràm Supremo Parla-

 mento

mento eousque probassent suam innocentiam, & Thesium suarum ab impositis censuris immunitatem, ut non solùm nequidquam contra ipsos, aut contra publicam suarum Thesium defensionem actum esset; sed ex ipsius Supremi Parlamenti prudenti ac providâ dispositione, hæc ipsis maneret integra, libera & permissa: notorium est, quod præter privatum, quod ex se habebant, jam acquisiverant publicum jus ad dictam Thesium suarum publicam defensionem præconcepto modo faciendam: à quâ facienda, cùm nec citati, nec auditi fuerint, viâ facti prohibiti per Decretum Illustrisimi Domini Archiepiscopi; manifestum etiam videtur, quod per illud fuerit illata *incomparabilis injuria*.

Denique etiam *infamiæ nota*: quænam enim *majoris infamiæ nota* ferè excogitari posset, quàm duos optimi nominis, & integræ famæ, publicè & privatim, domi ac foris, Religiosos, Sacræ Theologiæ in solemnisſima Universitate Lovaniensi per plures annos Professores, imprimis reos agi, taxari, censurari, uti paulò ante præmissum est: deindè eosdem in solemnisſimo Parlamento, agente contra ipsos pro officio suo Ampl. Domino Fiscali, accusatos de assertionibus *sanæ doctrinæ contrariis*, &c. tandem probatâ eousque, ut suprà, suâ innocentiâ, & assertionum suarum ab impositis censuris immunitate, ideoque sibi ipsis ac suo juri relictos, nec citatos, nec auditos, per unius Illustrisſimi Domini Archiepiscopi, istorum notitiam habentis, decretum, ob nonullorum Theologorum malam (sub humili correctione) informationem, sine ulteriori examine, & causæ discusſione, de novo iisdem, imò longè pejoribus censuris taxari, & cum publica confusione, suo jure privari, & à debitâ illius executione impediri?

Ipsis quidem *Patribus intimatis*: uti satis per se patet ex præmissis.

Deindè *toti Provinciæ*: quia cum defensiones Thesium Patrum intimatorum publicæ, faciendæ forent ratione & occasione Comitiorum Provincialium istius Provinciæ, quæ tunc actualiter celebrabantur Mechliniæ, & quorū alteruter Thesium Præsidum, erat actualis præses, & Commissarius Reverendisſimi P. Generalis, & tota doctrina istis Thesibus contenta, sit pro tota Provincia regulamentaris, & ejusdem communi calculo, jam à multis annis approbata, & in ejusdem Scholis inoffenso pede tradita hactenus, omnis *confusio, injustitia, & infamiæ nota*, Patribus intimatis per Decretum Illustrisſimi Domini Archipiscopi causata, non potuit non redundare in totam Provinciam, juxta commune axioma, confusio, injuria, infamiæ nota, quæ fit Monacho, censetur facta Abbati, ac toto monasterio l. *in personam cum ibi not. per DD. ff. de pactis.* Paz. *in epith. delit. c. 6. n. 16.* Gomez. *in 3. tom. var. resol. c. 6. de injuriis n. 5.* & Aloys. Ricc. *Decis. Cur. Neapolit. part. 3. decis. 34. n. 3.*

Denique etiam *toti Ordini*: quia cum eodem sciente & permittente tota doctrina istis Thesibus contenta, doceatur in tota Provincia nostra; *tota confusio, injuria & infamiæ nota* Patrum intimatorum ac totius Provinciæ, ut statim vidimus, non poterat non redundare in confusionem, injuriam, & infamiæ notam toti Ordini. Siquidem, sicut confusio, injuria, & infamiæ nota facta Clerico

rico redundat in totum Ordinem Clericalem, per text. in cap. *Si quis suadente Diabolo.* Et in cap. *Contingit interdum de sent. excomm.* Emmanuel Ferro Manriq. *Quæst. moral. & vicarial. part. 1. q. 18. n. 10.* Ita confusio, injuria, & infamiæ nota facta Religioso, ac toti Provinciæ, redundat in totum istum Ordinem Regularem. Ex quibus

Iterùm liquet irreparabile gravamen multiplex, per Decretum Illustrissimi Domini Archiepiscopi, Patribus intimatis illatum; ac proindè quod subfuerit justa ratio ab eo appellandi ad S. Sedem.

Neque ibi stitit impetus istius Decreti, sed insuper Patribus intimatis intulit aliud gravamen, excedens omnem modum, sicque irreparabile, si ullum.

3. Quia latum fuit contra innocentes, & prorsus immunes ab istis censuris, quæ in Decreto præfato ipsorum assertionibus affricantur.

Etenim quàm procul assertiones Thesium per Decretum publicè defendi prohibitarum, distent ab istis Censuris, satis luculenter patet, tum ex brevi & succincto specimine nimiæ præcipitantiæ, vel certè alicujus immoderatæ Passionis istorum Theologorum, quorum judicio innixus Illustrissimus D. Archiepiscopus suumDecretum tulit, quod Patres intimati ediderunt in instrumento suæ appellationis de *die* 1. *Junii* 1677. tum etiam ex indiculo Auctorum, & Sacræ Theologiæ, etiam ipsius Universitatis Lovaniensis Magistrorum, aliorumque Professorum, qui easdem propositiones jam dudum asseruerunt, annexo simili instrumento appellationis eorundem, ultimo loco insinuato: tum denique latius & fusius ex tota *informatione* hic præmissa.

Dissimulo hic, quod Patrum appellantium Theses, post earundem publicæ defensionis per Decretum Illustrissimi Domini Archiepiscopi prohibitionem, fuerint Lovanii diligenter recognitæ & examinatæ à variis Sac. Theologiæ Professoribus, & post diligens examen, in omnibus & per omnia approbatæ, tanquam nihil *sanæ doctrinæ ædificationi & securitati salutis animarũ* & multò minus *errores Sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus contrarios continentes.* Quorum approbationes, sub propria eorum signatura, hisce oculis egomet vidi, & exhiberi poterunt, si, ubi, & quando opus fuerit.

Quidquid sit, vel non sit, saltem hoc ex præmissis omninò confici videtur, quod Patres Thesium Præsides intimati, totam doctrinam suis Thesibus assertam, sustinuerint bonâ fide, & sine minima suspicione vel dubio alicujus in ea *sanæ doctrinæ, ædificationi, & securitati salutis animarum, Sacræ Scripturæ, Concilio Trid. aut SS. Patribus contarii.* ita ut, gratis supposito, & non concesso, quod in ipsorum assertionibus sublatuisset aliquid istis contrarium, id invincibiliter ignoraverint, & ignorent hactenus; & obindè non potuerint constitui rei, & consequenter non probatâ ipsorum nocentia, tam infamiter censurari, & à publica Thesium suarum defensione prohiberi.

Quia nullus potest constitui reus, nisi ob culpam: sub ignorantia verò invincibili prætacta, non potuit in Patribus intimatis esse culpa, cum hæc debeat committentibus esse voluntaria, qualis non potest esse sub ignorantia invincibili. Ità omnes Theologi & Canonistæ *Gl. in Cap. fin. dist. 37. v. omnis ignorantia. Cap. Apostolica. 9. de Cler. excomm.*

ibid. gl. 11. *ignorantia.* Quod pluribus juribus, rationibus, & authoritatibus, optimè deducit Bordon. *Sac. Tribunal. Cap. 41. n. 34.*

Ubi etiam *n. 35.* ex istis rectè infert: quod culpâ non existente, pœna, & consequenter censuratio, summè pœnalis, locum habere non possit; pœna enim sequitur culpam, & illi commensuratur. *Cap. 2. de Constit. in 6.* ubi Papa non vult ignorantes probabiliter, & à fortiori invincibiliter, ligari Statutis ordinariorum. Bart. cum aliis in l. *Cunctos populos. C. de Sum. Trinit. n. 20.* Afflict. *Decis. 290. n. 3.* Jason *Cons. 184. in primo.* Cephal. *Cons. 167. n. 11.* Giurba. *Cons. 12. n. 25.*

Et hæc procedere in utroque foro, docent Sayr. *in Clavi lib. 1. c. 13. n. 24.* Sanch. *lib. 1. c. 10. n. 11.* Valer. *in Prælud. differ. utriusque juris.* verb. *forus:* asserens valere argumentum à foro interno ad externum, & è contrà. Quod saltem verum est, quando forum externum non innititur præsumptioni in foro interno falsæ, prout in præsenti reverà non innititur.

Insuper gratis supposito, & non concesso, quod attentâ ambiguitate, aut æquivocatione terminorum, quibus Patres intimati assertiones suas in Thesibus expresserunt, potuissent aliquæ assertiones trahi in sensum alicujus *sanæ doctrinæ, ædificationi, & securitati salutis animarum, S. Scripturæ, Concilio Tridentino, vel SS. Patribus contrarii;* non ideò debebant, aut poterant Patres intimati, tum in Universitate Lovaniensi, tùm in tota Provincia, optimæ famæ, & integræ reputationis hactenus, & nunquàm ab ullo, sive quoad se, sive quoad doctrinam suam, in sinistram aliquam suspicionem adducti, per Decretum Illustrissimi Domini Archiepiscopi tanquam rei censurari, & tam turpiter taxari.

Quia propositiones seu assertiones ambiguæ aut æquivocæ, quæ plures sensus habere possunt, unum *Catholicum, sanum, ædificativum, animarum saluti securum, Sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino, & SS. Patribus conformem,* vel saltem *non contrarium,* & alterum *hæreticum, sanæ doctrinæ, ædificationi & securitati salutis animarum, vel S. Scripturæ, Conc. Trid. & SS PP. contrarium,* à justo & æquo Judice interpretandæ sunt in bonum sensum, & in favorem ejus, qui eas posuit, nisi aliquid aliud obstet, ratione cujus debeant contra ipsum interpretari.

Tum quia non est verisimile, quod quis hujusmodi verba seu assertionum terminos posuerit secundùm utrumque sensum simul, cùm pugnent ad invicem, uti per se notum est. Ergò ponens ejusmodi propositiones seu assertiones ambiguas aut æquivocas, eas intellexerit sub uno sensu, & non sub alio, & cum delicta non præsumantur l. *meritò 51. ff. pro socio.* Cap. 2. *de Regul. jur.* interpretandæ sunt *in bonum, Catholicum, sanum, ædificativum, animarum saluti securum, Sacræ Scripturæ, Concilio Trident. & SS. Patribus conformem sensum,* vel saltem, *non contrarium;* non verò econtrà in *sensum malum, hæreticum, sanæ doctrinæ* &c. ut paulò ante, *contrarium.*

Tum quia in obscuris favendum est reo magis, quàm Actori, & dubia in benigniorem partem interpretanda sunt, *l. 57. ff. de Reg. jur.* ubi *l. 153.* dicitur, quod in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quàm tutius; quia in obscuris sequimur

mur quod minimum est. *Reg. 30. in 6. l. semper 9.* ff. *eod.* id est, quod minus nocet reo, aut ei nihil præjudicat; sed quod bonum & utile eidem esse potest: unde l. *si quis 66.* ff. *de judic.* dicitur. *Si quis intentione ambiguâ, vel oratione usus sit, id quod utilius est ei, accipiendum est.* Et verba non sunt intelligenda secundùm quod sonant; sed secundùm mentem proferentis. Cap. *Intelligentia 6.* Cap. *Propterea 8.* Cap. *In his 15. de verb. signific.* quia mens est potior verbis l *labeo 7. in fin.* ff. *de supell. legat.*

Quamobrem conformiter ad hæc, assertiones Patrum intimatorum, in causa præsenti, tum ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo; tum ab istis Theologis ejus Consiliariis, erant interpretandæ in benigniorem partem, & in *sensum sanum* &c. non verò in tam malum; cùm nec Illustrissimo Domino præfato, nec ejus Theologis constaret de aliquo, ratione cujus debuissent contra Patres intimatos eorum assertiones interpretari.

Et consequenter nullo jure potuerunt Patres intimati per Decretum Illustrissimi Domini Archiepiscopi sic censurari, & nullâ contra eos probatâ culpâ, sed constante in omnibus suâ innocentiâ, & integritate suæ doctrinæ, tanquam rei traduci, & tam infamiter taxari.

Ideoque etiam ex hac parte per illud Illustrissimi Domini Archiepiscopi Decretum, ipsis illatum fuit gravamen, excedens omnem modum, adeoque irreparabile, si ullum; ac proinde justissima

eaque irreparabilia Patribus intimatis illata fuerint gravamina, & quod subfuerit justa ratio ab eo appellandi ad S. Sedem, & confidentia justæ suæ causæ per appellationem declinandi judicium Illustrissimi Domini Archiepiscopi, quod justè & prudenter fieri, docet S. Thomas 2. *2. q. 69. art. 3.* cui subscribunt omnes Thomistæ, & Sot. *de just. & jur. l. 5. q. 6. eod. art.* & est decisum Cap. *omnis oppressus. 2. q. 6.* ubi: *liberè sacerdotum, si voluerit, appellet judicium, & à nullo prohibeatur.* Quod item est certum naturæ lumine; nam ratio naturalis dictat, ut unusquisque se, & sua defendat, eo modo, quo potest. Quæ maximè concludunt, dum appellatur immediatè ad Papam, vel ad S. Sedem.

Nam tunc Judex à quo tenetur sub mortali huic appellationi deferre, & secus faciens, debet graviter puniri ex cap. *De Priore 31. De appellat.* Donat. Laynens. *to. 2. part. 2. tract. 10. de appellat. q. 35. n. 4.* dummodò appellatio sit rationabiliter interposita, prout in præsenti casu, ut constat ex hucusque præmissis, quibus satisfactum manet ad *Quæsitum primum.*

RESOLUTIO AD II.

Respondetur ad 2. Quod stante dictâ appellatione, non potuerit decerni per Officialem citatio adversus Patres intimatos.

Quia, ut patet ex hucusque præmissis, totâ *Responsione ad primum*, appellatio P P. Thesium Præsidum intimato-

copus deferre debuit: ac proindè causam Patrum appellantium ad S.Sedem, eò devolvit, & Illustrissimi Domini Archiepiscopi omnem jurisdictionē contra eosdem suspendit & annullavit omnia post illam, legitimè interpositam, facta: quâ proindè pendente, nihil potuit innovari seu attentari in præjudicium appellantium, juxtà cap. *ad audientiam de appellat.* in fin. *ibid. Gloss.* Innoc. *in* Cap. *ex. parte 1. l. 1. de verb. signif.* Sylvest. verb. *appellatio. n. 4.*

Ideoque stante dictâ appellatione, non potuit decerni per Officielem citatio adversus PP. Thesium Præsides appellantes, cùm hæc debuerit fieri, & re ipsâ facta fuerit, in vim & in consequentiam prioris Decreti sæpè præfati, uti per se manifestum videtur, & ad oculum patet ex ipsa commisione Officiali præfato ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo desuper datâ, & inter alia in præmissâ *informatione* suprà adducta.

Nec obstat, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus dictæ appellationi non detulerit: quia cùm justa & rationabilis fuerit, ut suprà satis probatum est, & ad S. Sedem Apostolicam legitimè interposita, jura eidem detulerunt juxtà l. *quoniam Judices* C. *de appellat.* l. *ei, cujus* ff. *de appellat. recip.* obindèque per dictam appellationem ligatæ fuerunt manus Illustrissimi Domini Archiepiscopi, qui idcircò etiam tenebatur quiescere in causâ, & judiciū Judicis *ad quem* exspectare. Donat. Laynens. *tom. 1. part. 2. tract. 1. q. 35. n. 5.*

Tantò ampliùs, quod sit communis omnium, nemine contradicente, sententia, quod Judex non possit in causa procedere, neque aliquem citare tanquam reum, nisi ipsi constiterit de corpore delicti. Ita omnes in l. 1. ff. *ad Syllanianum.* Et licet ibi exemplum sit de homicidio, idem tamen dicendum de omnibus aliis delictis, docent communiter Doctores.

Sicut Judex, qui omissâ corporis delicti probatione, procedit contra reum, invalidum formet processum, ex allatis à Farinac. *q. 2.* ubi latè de hac re. De Bictis *q. 12.* Guazin. *in defens.* Carena *part. 2. tit. 12. à n.* 170. & *part. 3. tit. 1. à n. 23.* ab Angelis *cap. 12.*

Itaque cum ex nullo pateat, quod Illustrissimo Domino Archiepiscopo, aut ejus Theologis, constiterit de corpore delicti Patrum intimatorum, & multò minùs illud probaverit, & equidem contra illos processerit, ferendo suum Decretum, & in vim, ac in illius consequentiam, curaverit ipsos citari coram suo Officiali, videtur peremptoriè concludi posse, quod totus ejus contra ipsos processus fuerit à principio omninò nullus & invalidus, & per illum Patribus intimatis illata fuerint varia irreparabilia gravamina, & consequenter, quod justissima subfuerit ab eo, & quidquid in vim illius subsecutum fuit, ad S. Sedem appelandi ratio.

Ubi certè ægrè admodum à passione, & nimia crysi excusari posse videtur, quod Patres intimati à Domino Officiali fuerint citati, & debuerint personaliter comparere ad locum consuetæ audientiæ, & illâ ipsâ horâ, quâ ad eundem lenones, scortatores, adulteri, meretrices, & similes scelerati homines citari & comparere solent; directè contra *art. 4. Statut. Ecclesiast. Provinc. Mechliniens.* qui sic habet: *Quamobrem etiam, antequam causam aliquam Ecclesiasticam contra Ecclesiasticas, aut honesti nominis*

nominis personas in judicio contradictorio tractandam exhibeant, eam prius Officiali denuntiens, ut dispiciat, an eas ad se per literas clausas avocare velit, an viâ regiâ permittere causam agi.

Quod si voluisset Illustrissimus Dominus Archiepiscopus ad, pro officii sui debito, *à populo sibi commisso avertenda pericula damnationis & scandala, de doctrina, quæ illi per Theses Patrum intimatorum proponebatur, cognoscere, nec non revocare deprehensos in erroribus Sacræ Scripturæ, Concilio Trident. & SS. Patribus contrariis*, uti in suis Decretis præferebat, potuisset, & debuisset id facere, adhibitâ eâ cautelâ, quæ ibi *pro Ecclesiasticis & honesti nominis personis* (quales omninò erant Patres intimati) præscribitur, & quam solet adhibere pro suis Ecclesiasticis.


Item ut hoc ipsum, pro officii sui debito, prudenter ac providè mandasset executioni, non debebant Patres intimati citari ad locum & consistorium consuetæ & ordinariæ audientiæ, ubi pro tribunali non sedet nisi unicus Ecclesiasticus, stipatus aliquot sæcularibus assessoribus, nimirùm ipse Dominus Officialis, quantumvis regulariter bonus Jurista & practicus, sæpè tamen exiguus Theologus: de quo etiam in causa præsenti, Patres intimati prudenter præsumere poterant, quod fuisset unus ex istis Theologis, quos Illustrissimus Dominus Archiepiscopus adhibuerat in consilium, & consequenter ipsorum pars; non Judex indifferens: uti in sua præmissa *informatione* rectè insinuarunt; & obindè ab ejus Decretis ad S. Sedem jure meritò appellarunt, ut statim videbitur.


Quid verò sibi voluerit, quod tam crudè & tam ruditer in omnibus & per omnia cum Patribus intimatis processum fuerit ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo, ejusque Officiali, æquissimi Judicis *ad quem* discretioni relinquo. Ex his, & hucusque præmissis

Sufficienter patet Responsio ad 3. *Quæsitum*, quod nimirùm per eosdem Patres intimatos justè, rationabiliter, & legitimè fuerit exceptum, & ab Officialis Decretis similiter appellatum: cùm stante dictâ appellatione, non fuerint nisi mera attentata; quæ sicut secum trahebant nova gravamina, prioribus omninò similia, ita etiam Patribus præfatis dederunt novam justam rationem contra ea excipiendi, & ab illis similiter appellandi.

FINIS.

Ita, salvo meliori judicio, sensi & censui Bruxellis 20. Ja-





APPROBATIONES.

Legi consideratè rationes pro RR. PP. SEBASTIANO à S. PAULO. & MARCO à RESURRECTIONE DOMINI, sanè doctè & accuratè deductas, atque in ipsis circa Assertiones Theologicas, sic sentio: nihil in iis contineri, quod sanæ doctrinæ adversetur: sed probatas tot adductis Doctoribus; meritò censeri doctrinam, in omni Schola Theologica probabilem.

Arnoldus Mylius Soc. Jesu *SS. Theologiæ Doctor & Professor Coloniæ Ordinarius, Sacræ Facultatis in Universitate Coloniensi pro temp. Decanus. M.P.*

Successum ac Processum hujus institutæ *Disputationis*, sicut & *Appellationis*, simulque *Quatuor Propositiones Theologicas* sedulò examinavi; reperique dictas *Propositiones* non tantùm ex Sapientissimis Doctoribus, & Publicis Cathedraticis *studiosè* collectas, *solidèque* probatas: verùm insuper sanam continere doctrinam sine ullâ Fidei Orthodoxæ aut bonorum morum læsione. Quare cum *nec Diabolo sit neganda defensio*, ut acutè ait Hostiensis in *can. cum inter 5. de except.* præfatarum *Probabilium Propositionum Præsides* legitimè ad subsidium *Appellationis* religiosâ cum modestiâ profugerunt: nam *ulterius tacuisse, fuisset diffidentiæ signum, non modestiæ ratio*, ex Oraculo Hilar. contra Constant. Neque Adversarii qualescunque hanc justam *Regularium* defensionem ægriùs ferre



ferre possunt; nam *stimulati ut Apes, interdum aculeo sua mella defendunt: & tanquam Columbæ cum hostibus, ore potius, quàm dente confligunt*, idque ex præscripto S. Paciani epist. 2.

Salvo &c.

Fr. JACOBUS EMANS, *Ord. Carmelitarum SS. Theologiæ in Universitate Coloniensi Doctor & Professor Ordinarius, Senior.*
m. p.

Fr. HENRICUS HILDEN, Ord. Prædicatorum Magister, & in Universitate Coloniensi SS. Theologiæ Professor Ordinario-publicus. m. p.

Subscribo quoque huic Resolutioni:

F. JOANNES SCHWEITZER, Ord. Erem. S. P. Augustini Vicarius Provincialis cis-Mosanus, SS. Theol. Doctor & Professor Ordinarius. m. p.

Hisce quoque à me visis & accuratè examinatis pariter subscribo:

Fr. HYACINTHUS CUNIBERT, Ord. Præd. Magister, & in Universitate Coloniensi SS. Theol. Professor Ordinarius m. p

Et Ego Fr. Sylvester Schweitzer, *Ord. FF. Min. Conventualium Guardianus, SS. Theologiæ Doctor & Professor Ordinarius.* *m. p.*


PRopositiones ab Admodum RR. PP. Carmelitis publicæ disputationi Mechliniæ propositæ, atque ab Illustrissimo D. Archiepiscopo Mechliniensi censurâ notatas accuratè perlegi, in quibus cùm nihil Orthodoxæ Fidei aut bonis moribus dissentaneum repererim, sed potiùs tales sint, quæ doctrinam probabilem, atque à plurimis Viris doctissimis traditam & sæpius defensam complectantur, nullâ jure censurâ perstringi posse censeo. Coloniæ 8. Martii 1678.

Ita censeo

Joannes Loventhal, S.J. SS. Theol. Doct. & Professor Ord. in Universitate Colon. m. p.

I*Nfrascriptus attentè perlegi, & maturè perpendi, tum* Rationes *pro parte RR. PP. in hâc causâ prohibitionis publicæ defensionis quarundam Thesium Theologicarum intimatorum, totâ eorundem præinsertâ* informatione *deductas; tum etiam tria* quæsita *circa justitiam appellationis à Decretis Illustrissimi ac Reverendissimi D. Archiepiscopi Mechliniensis, ejusdemque Officialis ab iisdem interposita; nec non* Resolutiones *ad illa subnexas: quibus omnibus æqua lance libratis, sentio & censeo, imprimis in assertionibus Thesium Patrum intimatorum nihil contineri, vel* sanæ doctrinæ, *vel* ædificationi, ac securitati salutis animarum, *vel* Sacræ Scripturæ, Conc. Trid. SS. Patribus, *vel* communibus & passim receptis aliorum Doctorum, aut Sacræ Theologiæ Professorum sententiis contrarium: *Deinde omninò justam subfuisse ab utriusque Decretis præfatis ad S. Sedem appellandi rationem. Datum in Carmelo nostro Bruxellensi die 24. Januarii 1678.*

Fr. Alexander à S. Theresia, *S. Theologiæ Professor Ordinis Carmelitarum.*



Idem sentimus & censemus infrascripti:

Fr. MARIUS à S. JACOBO, *Sacræ Theologiæ Lovanii Professor Ordinis Carmelitarum.*

Fr. ELISEUS à S. CYRILLO, *S. Theologiæ Lovanii Professor ejusdem Ordinis.*

Actum in Carmelo nostro Lovaniensi die 27. *Ian.* 1678.

RATIONES

Pro parte PP. SEBASTIANI à S. PAULO & MARCI à RESURRECTIONE DOMINI S. Th. Professorum, quibus ostenditur justitia Appellationis eorundem à Decretis Illustrissimi ac Reverendissimi D. Archiepiscopi Mechlin. & Domini Officialis ejusdem super causa prohibitionis certarum Thesium Mechliniæ in Capitulo Provinciali disputandarum diebus 17. & 18. Maii 1677. in eum finem distributarum; à diversis Eximiis SS. Theologiæ Doctoribus & Professoribus Ordinariis, quà publicis, quà privatis, attentè, curiosè & studiosè examinatæ ac approbatæ, nec à fide, nec bonis moribus recedunt. Coloniæ die 18. Martii 1678.

Fr. CASPARUS VON KOLLEN, Ord. Præd. S.T.D. & Apostolicus Inquisitor Generalis Coloniæ partesque annexas.

m. p.

MENDÆ SIC EMENDANDÆ.

P*Aginâ 3. Columnâ 2.lineâ* 17. continere *lege* contineri. *Pag. 4. col. 2. lin. 5.* eminenti, *lege* imminenti. *Ibid. lin. 14.* renovatione, *lege*, revocatione. *Pag. 9. col. 1. lin. 13.* præscriptum, *lege*, præscriptam. *Pag. 14. col. 1. lin.* 6. suum, *lege* sibi. *Pag. 28. col. 2. lin. 11.* jure, *lege*, in re. *Pag. 33. col. 1. lin. 37.* sive personali, *lege*, sive originali. *Pag. 54. col. 1. lin.* 28. non, *lege*, nos. *Pag. 62. col. 1. lin. 13.* explicitè, *lege* explicitæ. *Ibid. lin. 31.* authoritatem, *lege*, authoritatum. *Pag. 63. col. 1. lin. penult.* materiæ, *lege*, maturè. *Pag. 66. col. 1. lin. 18.* publie, *lege*, publicè. *Pag. 67. col. 2. lin. 7. deprehensos, lege, deprehensos.* *Pag. 76. col. 1. lin. 14. & 15.* auditi fuerint, *lege*, auditi, fuerint. *Ibid. col. 2. lin. 27.* toto, *lege*, toti. *Pag. 79. col. 2. Resol. ad 11. lin.* 8. è Decreto, *lege*, à Decreto. *Pag. 80. col. 1. lin. 14.* Officielem, *lege*, Officialem. *Ibid. col. 2. lin. 6.* sicut, *lege*, sic ut.

Reliqua relinquuntur correctioni discreti Lectoris.